DE
VETERIBUS PERSARUM REGIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONCESSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE IMPETRATIS

DIE II. JUNII A. MDCCCLXII.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

AUCTOR

MICHAEL FRIEDLAENDER

DR. PHILOSOPHIAE ET ARTIUM LIBERALIUM MAGISTER

IUTROSZINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

G. KAUFMANN, STUD. PHIL.
F. SEELMANN, STUD. PHIL.
J. R. STORCH, STUD. THEOL.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41546028_0081

PARENTIBUS OPTIMIS

QUI PRAEMATURA MORTE VITA
DECESSERUNT

NEC NON

FRATRI OPTIME DILECTISSIMO

JOEL FRIEDLAENDER

PRAECEPTORI LITERARUM HEBRAEARUM

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Si vetustissimam cujuslibet populi historiam perquisituri sumus, maximi momenti nobis esse debent monumenta illa, quae ex eadem aetate originem ducunt, tum propriora quaeque illi aetati, qua res perscribendae sunt perfectae, majorem habent fidem. Etenim majorem iis tribuimus fidem, qui ipsi iis, quae tradunt praesentes intererant, quam iis, qui accepta ab aliis narrant, et historiae, quanto majore utuntur circuitu, ut ad nos perveniant, eo majorem fidei faciunt jacturam. Eadem ratione rerum scriptores ejusdem gentis, cujus res perscribendae sunt, praeferri possunt exteris, etiam aetate prioribus, quum illos, quamvis interdum sui amore ducti, aut propriis animorum studiis compulsi vera falsis mixta nobis tradiderint, tamen majorem materiem atque de rebus singulis perfectiorem scientiam, praesertim de iis, quae in genealogiam et chronologiam spectent, nobis praebituros esse jure sperare possimus. Attamen in Persarum rebus Graecorum maxime scripta perscrutanda nobis sunt, quae ubi nos destituunt, frustra Persarum aut Arabum scriptores adituri sumus. Namque a Graecis de iis, quae inter Persas et Graecos acta sunt, quae bella cujusque eventus inter se gesserint, satis doctus, facile aliquis putaverit, se ex Persarum ipsorum fontibus haurientem ea quoque accuratissime posse explorare, quae gesta sunt inter Persas et gentes finitimas Orientem et Boream versus, nec non quae intestina fuerint certamina de imperii successione; brevi autem intelliget, quantopere spe destitutus sit. Fundamentum enim, ut ita dicam, omnis Orientalium historiae maximam partem e genealogiarum et chronologiarum in-

dicibus constat, qui quidem, si ejusmodi essent, ut fides iis haberi posset, maximi ad hanc rem essent momenti, praesertim quum singulis eorum partibus paullatim omnia inserta essent, quae aut in populi memoria aut poëtarum carminibus servata erant. Genealogiae autem et chronologiae ab orientalibus scriptoribus nobis traditae de Persarum rebus gestis, in suspicionem cujusque illico veniunt et propter magnum annorum numerum, per quos regnabant singuli reges, et ob regum nomina prorsus differentia ab iis, quae Graeci nobis tradiderunt. Sed causis harum varietatum perquisitis, minus mirabiles nobis videbuntur historiae Orientalium de rebus Persarum scriptae. Etenim Abulfeda de chronologia statuit, omnium consensu ab initio regni Nabuchodonosoris usque ad Fugam prophetae 1369 annos praeteritos esse. Hac de re omnes consentire dicit, quia a Ptolomaeo, qui quum regnum a Nabuchodonosore susceptum novae epochae initium fuisset, in omnibus astronomicis observationibus tempore definiendis, hac computandi ratione uteretur, idem annorum numerus inter Nabuchodonosorem et Alexandrum traditus sit.[1]) Comparatio cum iis, quae in Almagesto continentur, satis declarat, hoc loco regem Nabonassarem cum Nabuchodonosore ab Orientalibus confusum esse. De Nabonassaris regno illi minus scisse quam de Nabochodonosore videntur, cui Aegypti expugnatio pro Persis suscepta attribuitur, quae re vera Kambyse demum rege ab ipso rege facta est, et fortasse hanc ipsam ob causam Orientales putant Nabuchodonosorem Ptolomaeo regem tanti momenti fuisse. Itaque aetati illi a Nabuchodonosore usque ad Alexandrum plus quam 150 anni additi sunt; nam post Alexandrum nusquam tot anni adjici poterant, quum ab initio aerae Seleucidarum usque ad Fugam nullo loco annorum ratio tam dubia esset, ut chronologiae auctores tali modo inter se discreparent. Quo factum est, ut

---

[1]) Aulfed. Anteislamica: وليس فيه خلاف لان بطلميوس اثبته فى المجسطى واتى به رصده

singulis regibus multo plures anni quam re vera regnabant, ascripti sint; qua tamen ratione abundantes illi anni dispertiti sint, discerni jam non potest. Hoc certe statuendum est, primis jam chronologis, quorum quidem scripta nobis servata sunt, praesto fuisse domesticos fontes, qui de singulis rebus gestis et de temporum ratione quodammodo eos docere potuerint. Fontes autem illi scriptoribus Orientalibus satis videbantur esse probati, ut in plurimis rebus, fontibus Aegyptiis et Graecis, quos iis non incognitos fuisse multis e locis apparet, relictis, populares auctores maxime sequerentur. Nullam prorsus aut certe rarissimam rationem nominum habebant, quae in exteris scriptis et documentis inveniebantur, sed Persarum praefectos illos esse putabant, aut reges esse rati, prout libuit, plura regna in singula contrahebant. Neque hoc sine omni analogia; legimus enim [Talm. Babl. Rosch Hasch. 3, 2.] eundem esse Coresch, eundem Darjavesch eundemque Artak's'as'ta, quorum nominum unum fuisse nomen proprium regis, alterum titulum, tertium nomen gentis. [2]) Ceterum nominum varietas nullam praebebat difficultatem, quin res gestas cujuslibet regis ex aliorum scriptorum ordine in quemque ex ipsorum ordine transferrent. Optime hoc cognosci potest, in nomine Coresch sacrae scripturae, quem plerique Orientales eundem esse statuunt ac Behmanum. Neque tamen omnis fides hanc ob causam, neque ipsis rebus, nec nominibus, quae Orientales tradunt, recusanda est, quum vetustissima traditio nomina illa jam sancta reddiderit. Nonne fieri potuit, ut regibus praeter illa apud Graecos usitata nomina alia ab aequalibus jam darentur? Et profecto videbimus, altera nomina tamquam titulos regum esse, quae secundum notionem ac significationem optime cum rebus ab illis regibus gestis congruere videntur.

Hisce principiis nitentes concentum quendam certe inveniemus inter historias Cajanidarum ab Orientalibus narratas, et Graecorum de Medo-Persico et de Persico

---

[1]) הוא כרש הוא דריוש הוא ארתחששתא

regno scripta, quamvis diversa videantur. — Quatuor autem sunt capita quibus summa rerum Persarum illius temporis, a Cai Cobad usque ad Alexandrum, continetur. Primum enim res inter Persas et Aegyptios atque Graecos gestae, tum bella cum finitimis gentibus Boream et Orientem versus, tum historia Persica-Judaica, denique domesticae res.

De Graeco — Persicis rebus nisi perpauca vestigia nihil relictum est, et quae tradunt, ab ipsis scriptoribus dubia habebantur. Explicatius bella cum Turcarum populis gesta enarrantur, fabulis ornatissima. Judaicas res partim quidem a majoribus traditas acceperunt, maximam tamen partem a doctis Judaeis discebant, ut e. g. Hamza in annalibus de semet ipso dicit; [hoc maxime capite confusione quadam singulari et fide admodum suspecta vehementer laborat. [3])

---

[3]) Exemplum confusionis praebent historiae rerum Israëlitarum, quas a docto quodam Judaeo se audisse contendit, nec non narratio illa quam ex opere Pinchas cujusdam Judaei se hausisse dicit; initio istius capitis enumeratio librorum sacrae scripturae est admodum suspecta, ita ut facile credat quispiam, omnia quae exponit ille auctor eadem ratione omni veritate carere. Multo tamen verisimilius judico hoc loco aut mss. ipsorum, aut eorum esse culpa, qui ediderint. De librorum nominibus hoc esse statuendum mihi videtur: حكمة سليمان esse hebraice משלי שלמה; سهبرا = עזרא et נחמיא, quamquam nomine زبور psalmi vocari solent; شيريث pro hebraico שירות esse positum judico, et amplecti libros psalmorum, Canticum Cant., Threnos Jeremiae; سيرين esse duo libros Chron. جوامع aut collectionem duodecim prophetarum minorum, quorum alias mentio non fit, aut notionem habere similem sequentis nominis حكم; de reliquis nullum est dubium. [Gottwald vertit: سيرين in Cant. Cant. جوامع librum Apophtegmatum سهبرا et شير يث nihil exponit]. Apparet omissos esse libros Job [nisi nomine شيريث contineri statuimus] et Esther. — Ad probandam suspicionem meam in Hamzae annales afferro partem historiae judicum, quam neque ex Judaeo docto unquam audivisse neque in opere a Judaeo scripto legisse potuit Hamza: ثم عملت بنو اسرايل المعاصى وعبدو بغلا وكبرت احداثهم فارسل اليهم اليس بن

Domesticae res et ipsae fabulis ornatissimae sunt quum in aliis rebus tum in primordiis et discessu regum. Ut vero magis perspicua sit comparatio singularum rerum cum iis, quae Occidentales dicunt accidisse, quoque facilius absolvi possit, inde exordium facere mihi visum est, ubi et plurima et certissima comparandi insignia inveniemus, et, id quod maximi est momenti, ubi nomina quoque sunt simillima; historiam regis Ardes'ir Behmani dico, filii Esfendiaris, filii Gus'taspis [vel Bus'taspis]. Idem fere de Dara filio Darae dici potest, sed praetuli regnum Behmani, quum Dara filius Darae melius iis quae antecedunt, perspici possit. Igitur a Bemahno ordiens usque ad Alexandrum descendam, tum retro a Behmano usque ad Cai Cobad ascendendum mihi erit.

Ardes'ir [اردشير]

Nomen Ardes'ir sine omni dubio originem ducit e veterum Persarum nomine Artak^{s}s'at^{r}râ, quod in cuneatis inscriptionibus invenitur; nam k^{s}s' sive خش [sive x] saepe in simplicem literam ش mutatur, sonus t ante r omissus est, id quod non sine analogia aliarum linquarum fit (cf. pater et père); syllaba xes in Graecorum nomine Artaxerxis videtur ob similitudinem cum Xerxe, esse adjecta. Cuneatae inscriptiones Assyriae vocem Artaksats'u [sive Haebreorum literis ארתחשסתא sive ארתחשתא], offerunt, quae forma, litera ر

ياسين بن عيزار بن معرون بن عمران وهو دعاهم الى ترك المعاصى فلم يطيعوه فدعا عليهم بالقحط فقحطوا ثلث سنين فاستخفى الياس من بينهم ثمّ فقد وخلّف اليلس بعد فقد بنو اسرائيل اياه اليسع بن احطوب وبقى بين ظهرانيهم وهم منهمكون فى المعاصى والتابوت بين اظهرهم يستنصرو به عند الزحوف ثمّ ملكهم بعد اليسع ملك يقال له ايلاق وزحف اليه عدو له فخرج بنى اسرائيل للقائه والتبوت امامه فغلب العدو على التبوت واختلط امر بنى اسرائيل.....

Cf. prima capita libri Judicum, et quae in libris Regum de Elijahu et Elisa narrantur.

in ش mutata, extitit. [cf. داشتن et دار]; apud Hebraeos vel Chaldaeos litera t quoque omissa est, adjecta syllaba finali תא, quae in multis nominibus Chaldaeis nobis occurrit. Aliam formam hujus nominis legimus apud Abulfedam: Tocharest [طخارست]; Abulfeda quidem ipse eum alium esse statuit ac regem Artaxerxem; praefectum ait esse illum Aegypto a Persis datum; sed apparet hoc nomen re vera nihil aliud esse quam nomen Artaxerxis regis mutilatum; praesertim quum cognomen At-tawil ei datum sit. —

De notione hujus vocis multi statuunt inesse significationem Longimani, velut Rappoport [Kerem Chemed 7; 9, 27] item alii docti, quum s'as'ta apud veteres Persas manum significaverit. Hoc vero mihi non videtur, quum forma Artak's'atra nobis explicanda sit, non ceterae, quae ex illa derivatae sunt, et hanc ob causam variationes modo illius, legibus harum linguarum procreatae; tum vero, si ista explicatio recta esset, omnia nomina, quae longimani significationem habent, versiones tantum vocis Artaxerxis essent, et ipsi Persae, ignorantes hanc nominis notionem duobus nominibus simul unum idemque exprimerent, quum illum regem اردشیر دراز دست appellare soliti sint. Malcolm explicat hoc nomen, lingua sanscrita adhibita, verbis „of exalted head", sed quam ad rem in alia lingua explicationem vocis quaerere, ubi ex ingenua satis explanari possunt omnia. Mirk'ond hanc ad rem fabulam affert, Esfendiari patri, quum de filio nato certior fieret, de cibo, quem forte praeterferrent, quid esset interroganti, responsum esse „ard o schir" [ارد و شیر farinam et lac.]. —

Quum vero „h'siar" apud veteres Persas regem significasset, „arta" autem magnum, primo quidem magnum regem significabat ista vox, sed postea ut nomine proprio ea utebantur. Quo factum est, ut vox „darazdast" in linguis diversis diverse conversa sit, vox autem Artak's'atra parva mutatione excepta, eadem manserit. Arabice vocatur الطويل الباع a Syris ܐܪܬܚܫܬܐ quae vox a radice ארך (longum esse) derivanda est. Rappoport [Erech millin] putat a voce אריה leonis, esse derivandum, comparatione cum

nomine Ardes'ir facta, quod magnum leonem significare potest; quum autem leonis nomen fortitudinis notionem contineat, hanc esse causam dicit cur Herodotus Xerxis nomen per *ἀρηΐον* explicet. Etsi vero concedo nomini Arioch notionem leonis potius inesse quam longitudinis, ii tamen, qui regem Artaxerxem Arioch appellabant, radicis ארך potius quam אריה rationem habebant. Neque magis Ardes'ir leonis notionem principio continebat. Hunc errorem progenuit similitudo duorum nominum Artaxerxis et Xerxis, quorum alterum apud Graecos quidem alterius est pars; quum Xerxis nomen principio leonem significasse constaret, Herodotus nomen Artaxerxis *μεγαν αρηιον* convertere potuit. Re vera autem Xerxem non esse partem ulteriorem nominis Artaxerxis satis declarant cuneatae inscriptiones, quae alterum regem Artak's'atra alterum h'is'iars'a nominant.

Quid ista appellatio sibi velit, variae sunt sententiae. Meram fabulam esse, quod quidam narrant, manum alteram altera longiorem fuisse, plurimi consentiunt. Orientales enim fere omnes hoc nomen sensu translato explicant; alii de magna ejus potentia, de imperio multarum gentium, ut Abulfeda et extensa, inquit, erat potestas ejus in septem climata [4]); alii de longinquis et remotissimis bellis velut Hamza in annalibus, idque, inquit, ob longinquas expeditiones [5]).

Quod vero Abulfarag' hoc nomen Xerxi II. attribuit, in errore quodam positum est, quum hic rex vix memoria dignus haberetur, nedum illi ejusmodi titulum darent.

Altera hujus regis appellatio, qua aeque ac nomine proprio utuntur Orientales, est Behman بهمن; hoc nomen recte Mirk'ond Graeca voce *εὐμενης* explicat; idemque dicit, eum ab omnibus regem liberalem vocatum esse. Quatenus hoc nomine dignus fuerit, postea nobis exponendum erit.

---

[4]) وانبسطت يده حتّى الاقاليم السبعت

[5]) وذلك لبعد مغازيه

Orientales hunc regem in genealogiae tabella nominant بهمن بن اسفندیار بن غشتاسپ. Behmanum filium Esfendiaris, filii Gus'taspis, Graeci contra filium Xerxis filii Darii Hystaspis. Consentiunt igitur utrique de genere hujus regis, si quidem Esfendiarem esse Xerxem, Gus'taspem esse Darium I. probari possit; id quod in hac commentatione, quum de Xerxis regno loquar, demonstrabo. — Mater ejus Amestris fuisse dicitur; Mirk'ond Judaeam fuisse uxorem Artaxerxis contendit, originem ducentem a Talut [Saul, rege Judaeorum]; hoc congruit cum rabbinicorum traditione, Cores' II. [Artak's'as'ta] esse filium Ah'as'veros' matre Esther. Sunt qui uxorem quoque Judaeam fuisse velint. [Richardson in praefatione ad Lex.]. Omnes ejusmodi traditiones memoria historiae Esther progenitas esse verisimile est.

Imperium accepit ope Artabani, qui et Xerxem et filium ejus Darium interemerat; Hystaspes Artaxerxis frater major natu, qui tum Bactrianae praeerat, obedire nolebat, sed multis proeliis tandem victus, fratri cedendum ei erat. Hactenus Graecorum scriptores. Quid vero Orientales? Esfendiar a Rustemo interficitur, Behman in Sistana provincia, quae Rustemi erat, retinetur, donec Gus'tasp, postquam filius Bis'utun fratris corpus in patriam deportatum regia pompa sepelivit, magna manu appropinquavit, et Rustemum coegit, ut Behmanum dimitteret. Tum Gus'taspes regno abdicavit et nepotem Behmanum appellavit regem. — Itaque Hystaspes, re vera nepos Darii I., ab Orientalibus Gus'taspis dicti, quum haud sine potentia aut gloria in rebus publicis occupatus esset, et quum de morte Hystaspis nihil memoriae traditum esset, facile pro ipso Dario I., rege Persarum, a posteris, qui totum rerum statum jam ignorarent, haberi potuit. Traditio quoque de Artaxerxis usurpatione, ab Artabano, bellum metuente, Artaxerxem regem appellatum esse, narrationem illam fortasse adjuvabat, Gus'taspem bello coegisse Rustemum, ut Behman rex fieret, ita ut bellum inter Hystaspem et Artaxerxem in bellum Hystaspis regis contra interfectorem regis pro rege Artaxerxe susceptum, mutatum sit. Hinc apparet Ruste-

mum hoc loco esse eundem atque Artabanum. Quum vero Rustem iste primum hoc loco nobis occurrat, paucis absolvam, quid de hoc nomine mihi videatur. Etenim Rustemum jam Cai Cobado rege in rebus gerendis occupatum esse videmus; initio pro regibus Persarum pugnantem, tum vero eorum adversarium post multas contentiones de publico rerum gerendarum theatro morte coactum tandem recedentem; ita ut vitam plus quadringentis annis degerit. Licet fabulosum sit hoc nomen, et licet tamquam substratum quoddam, cui omnes istae fabulae adjunctae fuerint, ut Orientalibus idem fere sit, quod Hercules Graecis, tamen inter tot fabulas aliquid veri quaerendum esse puto. Namque si de uno viro omnia Rustemi facta vere referri non possunt, fortasse in ejus genus aut nationem, cujus vicem Rustem ille nominatur, sunt revocanda. Medorum gens vero aptissima est talibus comparationibus; initio enim regibus, quippe qui Medi essent, dedita, postea, quum alia gens summa rerum obtinuisset, adversa erat regiae potestati; sicuti Rustem primis regibus amicus, posterioribus adversus erat. Cur Rustemi nomen hanc ad rem praelatum sit, dici non potest; hoc tamen statuendum puto, Rustemum insignem fuisse apud veteres Medos heroëm, qui magnam potestatem in Media habuerit; aptum erat ejus nomen, cui omnia adjungerentur, quae a Medorum principibus aliisque ad augendam Medorum auctoritatem et ad potentiam regum Persarum minuendam perfecta erant. Quid facilius quam Artabani res gestas in Rustemum transferre, ita ut Rustem, rege interfecto, successorem regis in sua potestate tenuisse diceretur, ac postea multis adversus hunc ipsum regem certaminibus implicatus, alias partes suscepisse. Unde colligi potest, Medos, Artaxerxe rege, ultimam seditionem contra Persas fecisse. Legimus quidem apud Graecos Dario Notho rege in Media seditionem fuisse per tres annos; sed videbimus regno Behmani amplecti Artaxerxis II. quoque regnum, ita ut illa seditio in Behmani regnum incidat.

Artaxerxes vulgo in meliorum regum Persarum numerum

refertur. [Herzfeld, Gesch. des israel. V.]; Orientales eum prorsus optimum regem nominant. [Abulfeda Anteisl.] Nam simulac regnum adeptus est, operam dedit, ut res publicae meliore statu uterentur, et civitatis augerentur quaestus. [Haec quaestus cura cognosci potest e verbis eorum, qui Judaeos accusabant, et regis, qui iis se accommodabat, ne augeretur incommodum ad jacturam regum.] [6]) Summa usus est clementia et liberalitate, qua re amicum se reddebat suis populis [Herzf. ibid. 92.]; quo factum est, ut Esfendiaris animo militari, [Orientalium quidem sententia] contrarius, cognomina illa, quae clementiae notionem habent, nanciscereturur. Augebatur fortasse haec opinio eo quod bella non ipse sed per suos principes ac duces gessit, ut domi manens eo melius suorum saluti posset consulere. Excellebat, ut ait Mirk'ond, modestia, justitia, clementia, misericordia inter omnes reges, imprimis justitiae laudibus effertur, qua in subjectos populos et victos hostes et ipse uti et praefectos uti jubere solebat. E. g. Judaeos nomino. Praeterea tanta fuisse religione et pietate erga Deum dicitur, ut omnibus edictis anteponeret verba: hic est, inquit, jussus Ardes'iri servi Dei ejusque servorum, qui vestrum est rex, [7]) primusque epistolis antescripsisse putaretur: nomine Dei. [8]) Factum esse potest, ut haec ex libro Ezrae profecta sint, quod vero minus probabile esse judico, quum formulae istae prorsus diversae sint ab Ezrae: ita dixit Deus [9]), et propriis suis fontibus niti videntur. — Sunt quidem qui fortem eum vocent [Mick'ond: the mighty in vailour]; bellis autem cum Graecis et Aegyptiis gestis hoc non confirmatur. Primum enim non ipse, tum vero non prospere bella ista gessit.

De istis bellis, quamvis fuerint diuturna, ipsi Persae

---

[6]) למה ישנא חבלא להנזקת מלכין

[7]) علامته على كتبه بقلمه من اردشير بهمن عبد الله وخلام الله والسلام لامركم

[8]) بسم الله

[9]) כה אמר יי

nihil habent quod narrent, nihil de longis in Aegypto bellis, quae ea conditione tandem sunt terminata, ut Inarus, adjutus ab Atheniensibus rex Aegypti fieret. Praefectum enim fuisse quemdam ait Abulfeda, in Aegypto, quae satropia jam dudum fuisset Persarum, nomine Tocharest, quo vocabulo, ab auctore hujus nominis neminem alium nisi Artaxerxem significari jam supra dixi; itaque rei ipsius quodammodo mentio fit, nomine cum regis permutato. Alii scriptores ne minimam quidem mentionem faciunt. Eadem ratione bella cum Graecis gesta miro quodam silentio praetereuntur; bellaque diuturna, imprimis in Cypri insula contra Cimonem gesta, frustra inquirimus apud Arabum aut Persarum scriptores, excepto, quod admodum obiter Hamza in annalibus perstringit; nam dicitur, inquit, Romam [10]) petiisse expeditionibus suis; [11]) sed haec quoque traditio in Xerxis potius expeditionem quam in Artaxerxis bella spectat; cognomen Longimani fortasse hanc Hamzae notam progenuit. At quaerat quispiam, quae sit causa, cur res gestae tanti momenti memoriam Orientalium prorsus effugere potuerint. Constat vero ea plurimum facta memoria populi teneri, sive sunt unius viri, sive totius nationis, quae ejus gloriam et laudem amplificent et augeant; ejusmodi enim facta poëtarum carmina a parentibus liberis, etiam nondum scripta, tamquam hereditaria traduntur. Facta praeclara et quae digna essent, quae carminibus celebrarentur, per ista bella non reperimus. Nam continuae erant seditiones, quae copiis prope immensis modo citius modo tardius opprimebantur, dum rerum conditiones, Persarum certe sententia, eaedem semper erant. Asia enim Minor Persarum provincia habebatur, itemque Aegyptus, quae, quamquam praefectos ibi esse, ob infirmitatem Persae passi sunt, tamen ab iisdem sua provincia esse judicabatur.

---

[10]) Romae nomine Graecia et totius Asiae Minoris civitates amplectuntur.

[11]) وكان يسمى الطويل الباع وذلك لبعد مغازيه ويقال انّه بلغ فى غزواته الروميّة.

De Judaeorum conditionibus quae exponunt Orientalium scriptores, nonnulla eorum propria esse possunt, non nitentium in Judaeorum fontes; plurimarum tamen narrationum ipsi Judaei auctores sunt, quare saepe haec capita historiarum incipiunt verbis „et Iraelitae contendunt“;[12]) altera ab alteris discerni non possunt. Judaicarum rerum scriptores, quibus Persae et Arabes tamquam magistris uti poterant, sunt libri Ezrae et Nehemijae. Artakʿsʼasʼta libri Ezrae alius quam Artaxerxes Longimanus esse non potest, quum antecedatur ab Ahʿasʼverosʼ [= Xerxe], quem antecedit Darjavesʼ [= Darius I.]. Hic regum ordo Darius, Xerxes, Artaxerxes, semel modo inter Persarum reges invenitur. Sunt qui Artakʿsʼasʼta, cujus cap. 4, 6. 7. 8. 11. 23. mentio fit, esse Pseudo-Smerdem contendant, [Gesen. Lex. sub. ארתחששתא]; cum his ideo non consentio, quod nomina prorsus diversa sunt, et in Artaxerxem Longimanum, quae in isto capite de Artakʿsʼasʼta narrantur, optime cadunt, si modo consideramus, illic congeri omnia, quae a Judaeorum hostibus apud Persarum reges contra Judaeos peracta sint, quamvis tempore sint diversa inter se; extremo capite [v. 24.] redit auctor, ad historiam de templi instauratione perficiendam, unde [v. 6.] degressus erat; id quoque, quod non de templi instauratione sed de urbis et muri restructione quererentur, probat, rege Artaxerxe hoc factum esse, quum templum jam perfectum esset, et urbs modo vasta jaceret.

Idem est Artakʿsʼasʼta, quem in libro Nehemijae legimus, quum Nehemija et Ezra per tempus aliquod communes saluti publicae consuluerint. [cf. Nehem. 8, 9.]. His libris epistolae quoque hujus regis servatae nobis sunt, de quarum veritate nihil habeo cur dubitem. — Templum Hierosolymis jam aedificatum erat; urbs autem ipsa, muri et aedificia, destructa jacebant, initio certe regni Artaxerxis, quum calumniis hostium commotus instaurationem urbis vetasset. [Esr. 4, 17—23.]. Vigesimo autem anno

---

[12]) والاسرائيليون يزعمون انّ

imperii per Nehemijam commotus non modo muros refici patiebatur, immo vero omnimodo aedificantes adjuvabat. Itaque adversa Judaeorum conditio in secundam mutata est, idque a septimo regni anno jam inceperat. [Esra 7, 11—27.]. — Flavius Josephus hoc rege putat Judaeos Hamani insidiis in summum discrimen venisse, et Estherae Mordechaique opera liberatos esse; at praeter quod omnis Artaxerxis natura et ingenium cum Ahʿasʾweri factis ne minime quidem congruunt, auctor Judaeus, si qua fides verbis habenda est, quam Josephus certe non recusabat, arbitratu suo Artaxerxem in Ahʿasʾweros mutare non potuit. Propter illa regis erga Judaeos beneficia omnes fere Orientalium scriptores consentiunt, Coresʾ Judaeorum esse hunc ipsum regem. Abulfeda hanc sententiam probat verbis prophetae Isajae, quae in ullum ex Persarum regibus nisi in Ardesʾirum Behmanum non cadant.[13]) Illo loco Abulfeda Ardesʾirum Behmanum regem orbis terrarum nominat, et arbitrum generis humani, quae opinio, aucta in exteras nationes potentia, quae adjuvabatur intestinis Graecorum certaminibus, quodammodo probari potest. Attamen haec verba nimiam continent hyperbolen, sed paullo tolerabilius dicta sunt, si in Artaxerxis II. imperium ea referimus, ut demonstrabimus. Hamza contra

---

[13]) ولا دليل اقوى من كلام اشعيا النبيّ عم وانّه يقول في الفصل الثاني والعشرين, (cap. 44, 28 ?) من كتابه حكاية عن الله تعالى انا القايل لكورش راعيّ الّذى يتمّ جميع محبّاتى ويقال لاورشليم عودى مبنيّة ولهيكلها كن مزخرفا مزيّنا هكذا قال الرّب لمسيحه كورش الذى اخذ بيمينه للتدبير الامم وتنحنى لك ظهور الملوك سادًّا نفتح الابواب امامه فلا تغلق واسير اذا قدامك واسهّل لك الوعور واكسر ابواب النحاس واحبرك بالذخاير التى في الظلمات ۞ ولم يكن احد فى ذاك الزمان بهذه الصفة التى ذكره اشعيا اعنى ملك الاقاليم والحكم على الامم وغير ذلك ممّا ذكره غير اردشير بهمن فتعيّن ان يكون هو كورش ۞

negat Hebraeorum Cores' esse Ardes'irum, quia chronologia non congruat; plus, inquit, ducentorum annorum praeteritum est inter Bak't Nasrum et Ardesirum, quum inter illum et Cores' 70 tantum anni sint. Nec tamen dilucide appareret, utrum chronologiam an historiam ipsam Judaeorum repudiare velit. Alia ratione prorsus diversa ab his quae dixi, Mirk'ond has res ab Arabico quodam scriptore doctus exponit. Ex ejus sententia Cores' iste non rex Persarum sui juris erat, sed praefectus quidam regis Persarum, qui loco filii Bak't Nasri Syriae praepositus erat; hic ab Ardes'iro jussus est pati ut Israelitae in patriam redirent. Itaque Israelitae duce Daniele reversi sunt. Nomen igitur Cores' servatur, res ipsa autem, descriptio hujus regis, quae in Isajae libro legitur, quaeque tanti momenti est Abulfedae, quum haud sane in Persarum praefectum cadat, missa facta est. Adde quod non rex Babylonis aut Syriae vel Assyriae [14]) sed rex Persiae appellatur. Danielis autem nomen eo tantum hoc loco praeferebatur, quod cognitius habebant quam Serubabelis. Verumtamen ex recentioribus doctis sunt qui Cyrum illum, qui Israelitas liberos reddebat, praefectum esse Persarum contendant. Haec dicentibus idem oppono, quod scriptori Orientali, sed hac de re plura dicendi locus aptior nobis praebebitur. Aliam traditionem hujus rei idem Mirk'ond refert; a Lohoraspe Bak't Nasrum principatu remotum esse, et Israelitis permissum, ut Hierosolyma redirent; postea autem Behmanum, iratum ob Persarum legatum a Judaeis interfectum, Bak't Nasrum iterum Hierosolyma misisse, ut Judaeis bellum inferret; itaque Bak't Nasrum templum diruisse et 10000 infantes Judaeorum captivos abductos esse. — Haec narratio elementa diversa continere videtur; de duabus expeditionibus a Bak't Nasro in Judaeam factis, hic cogitari non potest, quum inter duas illas expeditiones, Israelitarum ex captivitate reditus locum habeat. Combustio templi per Titum fortasse confundebatur cum expeditione Artaxerxis

[14]) Rex enim Assyriae Ezr. 6, 22, et reges Assyriae Neh. 9, 32 nihil aliud nisi reges Syriae vel Babylonis significant.

Ochi, qui Hierochuntem diruit et multos captivos abduxit; ita enim Abulfarag', Judaeos inquit, subegit, tributarios fecit adque ad litora maris Caspii in regionem Hyrcaniam migrare jussit. Itaque fortasse factum est, ut quum templum complura saecula stetisset, licentiam reditus Israelitis a Lohoraspe datam esse idem statuerent.

Ex aliis rebus gestis scriptores Orientales expeditionis mentionem faciunt, quam ad ulciscendum patris mortem contra Rustemum suscepisset. Quum vero Xerxis interfector Artabanus esset, haec expeditio eadem est, quae ad puniendum Artabanum ejusque conjuratos ab Artaxerxe secundum Graecorum scripta facta est. Rustemo interea mortuo filius Farimarz principatum illius provinciae obtinebat. Proelio facto Farimarz cum compluribus principibus et amicis Rustemi interfectis, Sal ipse, pater Rustemi, captus est. Apparet, mea quidem sententia, hoc loco seditiones, quae Artabano ipso victo et interfecto, a propinquis et amicis, alia post aliam factae sint, congestas esse, ut una esset narratio eademque perfecta. Itaque hac narratione contineri puto, bellum contra Megabyzen, qui quidem victus non est, immo vero infirmitas regis cognoscitur ex pace cum illo facta, seditiones tamen ab ejus liberis, simul cum Arsite, fratre Darii II. continuatae, tandem oppressae, et conjurationis principes cineris morte interfecti sunt. Seditio igitur illa, quae rege Dario II erat, cum prioribus conjungebatur, ut narratio perfecta absolutaque redderetur.

Rerum publicarum statum optimum fuisse hoc rege omnes fere Orientalium scriptores consentiunt; regi salus populi totius summae erat curae; quod Mirk'ond describit dicens colloquentem cum populo de rerum publicarum statu iterum iterumque regem rogasse, num quis quid haberet quod quereretur. Attamen nobiles quos circum se haberet, multum valuisse in regis voluntatem, etiam contra omnium salutem, illi tacite praetereunt.

Nominatur conditor complurium urbium, quarum duo nominatim traduntur; Abād-Ardes'ir et Behman-Ardes'ir.

Postquam CXX vel CXII annos regnavit, imperium tradidit filiae Homai; ipse in dies infirmior et desolatior fiebat, plane ut videtur, certior factus de filiorum sceleribus; atque quum filia gravida esset, jussit, si filium edidisset, coronam capiti filii imponi, nulla filii Sasani ratione habita. Regem desolatum fuisse in fine vitae congruit cum Justini verbis [10. 3]; hic enim post haec, inquit, Artaxerxes morte ex dolore contracta, decedit, rex quam pater felicior; si quidem illam traditionem in Artaxerxem II referimus. Adde quod significatio, arbitri generis humani magis in Artaxerxem II quam in primum cadit, quum re vera post pacem per Antalcidam factam Persarum rex in Graecorum certaminibus tamquam arbiter extiterit; fortasse haec significatio idem valet quod cognomen Artaxerxis II مدبّر Rectoris, quod Abulfarag' tradit, quum vulgo Mnemon vocetur.

Hinc concludimus, historiam Behmani non solum Artaxerxis I sed etiam alterius regnum amplecti; ita ut duo illa nomina ejusdem personae esse judicaverint Orientales. Id quoque quod Ardes'ir Darium successorem fecit, de Artaxerxe II legimus, ab eo Darium quendam designatum esse regem; Darius II rex Persiae sequitur quidem Artaxerxem I et antecedit alteri, sed quum ambo Artaxerxes in unum conjuncti sint, Darius II necessarie eundem regem sequitur, quod ante Ardes'irum nullus ei esset locus; atque idem rex Darium qui re vera imperium adeptus est, quum ille ab Artaxerxe II designatus rex ante patris mortem interfectus sit, successorem fecit. Denique CXX anni imperii, qui Ardes'iro ab Orientalibus attribuuntur, etiam pro eorum chronologia nimis sunt multi, si quidem sunt unius regis, etiamsi multis annis totam illam aetatem apud Orientales abundare scimus.

Artaxerxes III contra, quamquam ne ejus quidem nominatim mentionem fieri in Orientalium scriptis videmus, hac historia contineri negaverim, quod nihil habeo, quod in Artaxerxem III referam, excepta expeditione illa, quam Bak'ţ Nasr regis jussu in Judaeam fecit. Praeterea animorum indoles et voluntates, naturam, bellorum eventus non ita diversa fuerunt apud Artaxerxem I et II; multa

denique aedificia incepta ab Artaxerxe I alter dicebatur perfecisse; de Artaxerxe Ocho harum rerum nihil dici potest.

Successit Ardes'iro Behmano filia ejus
Homai هماى

Varia nomina huic reginae data sunt; saepe vocatur K'ani; alio nomine Hamza eam vocat G'eherezād, praeterea S'ahmirān. Quaenam autem ratio intercessit inter varias has significationes unius ejusdemque personae? Mihi quidem omnia cognomina eandem fere significationem habentia videntur esse. Nam K'ānī arabice خانى vel خانية titulus quidam est, et significat principem; S'ahmiran [= شاه ميران] est amata a rege; g'eherezād [= جهرزاد] significat pulchram filiam; [alia quidem ratione Mirk'ond „manifesto et libero habitu" exponit]; huic nomini proximum est Graecorum nomen Parysatis [= پَرِی‌زَد], quod significat natam a peri h.e. filiam pulchram. Itaque colligendum esse puto, nomen proprium esse Homai vel Homa, quamquam secundum Hamzae opinionem Homa cognomen ejus erat [15]).

Homai est filia eademque uxor Ardes'iri Behmani, id quod, ut Orientalium scriptores addunt, tum Persarum legibus licebat, nihilominus tamen propter cognomen Nothi Persas ita res narrare suspicari licet. Graeci enim tradunt, Parysatida fuisse Darii Nothi uxorem et Artaxerxis II matrem. Sed quum Parysatida et per Darii regnum et per Artaxerxis multum valuisse constaret, et, ut supra demonstravi, Artaxerxes Longimanus et Artaxerxes Mnemon unus idemque rex haberetur, idemque ante Darium regnans, facile rerum scriptores adduci potuerunt, ut rem inverterent et eandem reginam Artaxerxis uxorem et Darii matrem facerent. Quum vero eidem Dario cognomen esset Nothi, uxorem regis Artaxerxis ejusdem filiam esse dicebant, praesertim quum haec narratiuncula confusione illa matris et uxoris, cujus modo mentionem feci, adjuvaretur.

---

[15]) والهما لقب لها

Plus et diutius valuisse videbatur Dario rege, quum auctoritatem minutam esse post bellum a Cyro contra fratrem susceptum, suspicari possimus; itaque vivo adhuc Artaxerxe sex menses, Dario autem jam nato, tredecim annos regnasse eam statuunt. Initio, vivo Artaxerxe, legitime a patre jussa regnavit, tum autem filium Darium regno privatura erat. Haec ideo hac ratione narrantur quia ejus cupiditas imperandi Dario rege magis erat manifesta. Neque tamen ab Orientalibus vituperatur, immo vero summis laudibus effertur. Differunt enim Orientales a Graecis, quum dicant, eam diffudisse inter homines sacra imperia justitiae et aequitatis, ostendentem iis portas pietatis et clementiae. Verumtamen omnis ejus laus nullam aliam videtur habere originem, quam quod Ardes'ir Behman, justus ille et sapiens rex, reginam eam fecit. Nunquam enim illo honore eam affecisset, nisi judicasset, ingenium et animum esse aptissima ad regnandum; et re vera ingenium quoddam possidebat, ut tamdiu in auctoritate permanere potuerit. Graeci contra eam complurium vitiorum accusant, imprimis imperandi cupiditatis. De usurpatione imperii, Dario rege, Graecorum scriptores haud ita dissentiunt, quum tantam tum haberet potentiam, ut filii nondum adulti tutela dici posset. Complures urbes ab ea conditae esse dicuntur, ut Harpaveigan in Isfahanensi, H'amh'in in nomo Temira; Mille columnas quoque in urbe Istahar ejus auspiciis factas esse putant. Haec aedificandi cupiditas adjuvabatur ab aedificatoribus Graecis secundum Hamzae quidem verba; multos enim aedificatores Graecos et artium peritos captivos adfuisse dicit. Fortasse ratio quae inter Cyrum ex Homae voluntate Asiae praefectum, et Graecos intercesserat, huic scriptori ob oculos versabatur, quum verisimile sit, illo modo Graecos sua sponte in Persiam venisse artis ostentandae causa. Eodem spectant, opinor, quae de expeditione in Graeciam ab illa regina suscepta tradunt; Cyrus enim, Parysatidis consiliis in Asiam minorem missus, quum se in bella Graecorum interposuisset, magnam nactus est auctoritatem. Omnis autem reginae illius opera tandem omnino perdita

erat, quum Cyrus, proelio contra fratrem facto, interfectus esset; tunc enim Artaxerxes, quem Parysatis regia potestate privatura erat, magis regnum et obtinuit et tuebatur. Quum autem Artaxerxes et Darius confunderentur, hic quoque pro Artaxerxe Darius nominabatur, quo factum est, ut Orientales, postquam Homai Darii in re militari virtutem cognovisset, nihil dubitasse eam tradant abdicare et imperium filio tradere, qui vocatus sit

Dara filius Behmani دارا بن بهمن

Darae nomen ullum regem praeter Darium suspicari non patitur; sunt autem inter eos, de quibus hac commentatione loquimur reges tres, qui Darii vocantur. Primus est Darius Hystaspis filius, qui quum ante Artaxerxem regnarit, hoc nomine intelligi non potest. Ultimus est Darius Codommanus, cujus quum postea simul cum Alexandro mentio facta sit, ne is quidem intelligendus est; restat igitur, ut Darium Nothum cum Dara filio Behmani comparemus. Utriusque pater is est quem alteri Ardes'irum Behmanum, alteri Artaxerxem nominant; quamquam enim Artaxerxis II regnum in Ardes'iri regno contineri statuimus, successor tamen Behmani idem videtur esse, qui Artaxerxi I successit, cujus facta maxime in illius historia eluceant. Cognomen ejus Nothi non alienum est generi ejus ab Orientalibus descripto; hi enim dicunt Daram fuisse filium Behmani, ex ejusdem filia genitum; haec opinio variis fabulis confirmabatur. Namque Behman, postquam filiae imperii munera tradidit, eam ex ipso gravidam jussit, si filium edidisset, in ejusdem caput regiam coronam imponere; postquam autem natus est filius, Homai ejus aspectu non satisfacta, puerum exponi jussit, et ipsa summae rerum praeerat. Ille a pastore quodam educatus, quum adultus stipendia faceret, idque in Homai exercitu, tanta virtute et tanto ingenio prae ceteris excellebat, ut gloria ejus ad reginae palatium penetraret. Tum regina eum arcessivit, filiumque et cognoscit et agnoscit, et animis reconciliatis, sua sponte abdicavit. Quae fabula similis est ei, quam Herodotus de Cyro nobis tradidit; similes fere legimus apud Orientales de Cai H'osru et de

Hystaspe. Apparet igitur, hanc fabulam, maximam quidem partem fictam esse et in diversis formis additam historiis complurium regum. Inest tamen tantum veri, Darium primo ceteris postpositum atque a regnandi spe amotum, postea et fortuna et propriis virtutibus ad imperium pervenisse. Nec dubitari potest, quin hoc in Darium Nothum cadat. Quod etiamsi Darae historiam respondere Graecorum Dario Notho statuimus, non repudiamus, quin singula ex aliorum quoque regum historiis sumpta sint, et imprimis ob nominum similitudinem ex Darii I rebus gestis. Quod multis seditionibus oppressis, regis sedem magis magisque firmavit tot tantisque periculis forti animo obsistens haud ita alienum est a tota Darii Nothi vita ac fortuna; multo tamen aptius de Dario filio Hystaspis hoc dici potest; a quo permagnum conjurationum numerum oppressum esse in cuneatis inscriptionibus legitur. Neque tamen pro certo confirmare ausus sim, rerum scriptoribus Darium I maxime ante oculos obversatum esse, sed fieri potest, de Dario Notho hoc referri, et de eodem rege dici, qui brevi tempore multos principes obstinatos et defectos sub suam potestatem redegit [16]). Minime autem in Darium Nothum cadit titulus expugnatoris magni imperii aut verba „etiam magnae potestatis reges serviebant apud regem, fontem gloriae et securitatis". Dicat fortasse quispiam, haec laudis verba merito de eo dici, quum Graecorum sors in Persarum regis manu posita esse jam tum inceperit; id quod in fine bellorum Persico-Graecorum clarius appareat; at illa auctoritas et vis in rebus Graecorum nondum tantae erant, neque tam apertae, ut regem arbitrum generis humani vocarent. Quanto magis eum indignum esse hoc titulo judicabimus, quum legerimus, eum non potuisse Aegyptum recuperare, neque unquam liberum fuisse ab intestinis bellis conjuratorum, ut splendor iste et gloria civitatis nihil eluceret. Nimia profecto laus est, si dicitur, omnia ei obedivisse, excepto Philippo

---

[16]) Mirkond: who in a short time reduced to submission and obedience many refractory chiefs.

rege Macedonum, quocum bellum quoque gessisset. Graecorum vero nemo quidquam de bello quod Philippus cum Dario gessisset, tradit, sed de solo consilio belli loquuntur. Voluit quidem Philippus Graecos adducere ut expeditionis in Persiam suscipiendae essent participes, utque civitatem illam, ipsis maxime infensam, subigerent. Consilium autem perfectum non est, quum Philippus praematura morte de vita decesserit. Differentia inter duas has narrationes ita extitisse mihi videtur. Etenim Alexander a Persis non tanquam peregrinus usurpator, ut e. g. Phraortes [= Kai Kaos] infestus putabatur, immo vero regnum Alexandri bonum et salutare fuisse profitebantur, ita ut Persae eum e ipsorum medio ortum putari cuperent. Quin etiam tantum progressi sunt, ut Persarum imperium tamquam hereditatem eum adiisse dicerent, omnesque narrationes et fabulas, quae hanc opinionem confirmare videbantur, prout opus erat, conformarent et ornarent. Quum igitur Darium I in expeditione in Europen cum Macedonibus bello implicitum esse constaret, illosque tributarios Persarum factos, haudquaquam difficile erat, pacis conditionibus rem conjugalem adjungere. Atque quum Macedones a Persis, naturali quadam gentis suae superbia ductis, jam inde a vetustissimis temporibus tributarii sui putarentur, illud bellum a Dara et tributi exigendi causa et quod imperio obtemperare recusassent, susceptum esse dicunt. Proelio victum Philippum in castellum quoddam se recepisse et Daram, postquam diu urbem frustra circumsedisset, cum Philippo rege Macedoniae de pace egisse, et postulasse ut Philippi filia sibi in matrimonium daretur [17]); brevi autem Darae certis de causis displicuisse eam, gravidamque in patriam remissam esse; ut vero hujus rei opprimeretur dedecus, Philippum simulasse puerum illum, quem re vera filia edidit, suum esse filium. — Monumentorum ejus, quae permulta fuisse dicuntur, mentio fit ab omnibus fere Orientalibus, quum de Gus'taspe haec

---

[17]) He took the kingdom by the edge of his sword and gave it away by the point of his whip. Mirk'ond.

res ne leviter quidem perstringatur. Itaque conditor urbis Darabdjerd esse dicitur[18]). Praeterea publicos cursus Dara primus parasse narratur, sed hoc quoque multo melius in Darium I referendum esse puto, quem omnes civitatis conditiones ac leges constituisse constat, ideoque hanc quoque rem ab eodem rege institutam esse verisimile est. Mirḫond disertis verbis hoc de Gus'taspe tradit.

Anni, quos regnabat Dara filius Behmani, modo duodecim, modo quatuordecim numerantur. Haec autem calculatio minime congruit cum annis a Chronologis Occidentalibus Dario II attributis, neque si hoc nomine Darium I aut Darium III aut quod maximum a veritate abhorret, Ochum intelligi velis. Attamen Mirḫond addit ea de re Graecorum ipsorum scriptores inter se differre. At quinam sunt scriptores illi Graecorum, qui aut 12 aut 14 annos Dario II attribuunt? Nonne haec res scriptores Orientalium summae levitatis et negligentiae accusare videtur? Etsi nullius fere momenti nobis sunt istae chronologiae Orientalium, quum in erroribus positas esse eas viderimus, ac frustra profecto quaeramus, quanam lege veri numeri ex falsis cognoscendi sint, haec tamen adnotatio digna est, quae animum nostrum in se vertat, quaerentes, num qui re vera sint auctores Graecorum, qui duobus annis in hac re inter se discrepent. Equidem eam differentiam invenire non potui, nisi forte Arsacis regnum modo priori, modo sequenti regi addimus. Quo factum esse puto, ut de annis Darii III dissentiant scriptores modo sex modo quatuor annos numerantes. Suspicor potius illo loco aut mendum scripturae, aut vertentis errorem talem confusionem progenuisse. Secundum ordinis

---

[18]) Hamza refert, istam urbem a Dara jam inceptam esse, nisi hoc loco vitium impressoris aut mendum scripturae suspicamur, ita ut pro Dara Homai legenda sit; dilucide apparet, Orientalium rerum scriptores vel primi, jam alteram regum seriem, a Graecis traditam, satis cognitam habuisse, ipsorum autem traditiones eos praetulisse. Nam Darae nomen hoc loco Hamza pro Gus'taspe refert; eadem ratione, rarius quidem, reliquis nominibus utebantur, quae alias nobis occurrunt.

locum, quem occupat hic rex, respondet Ocho, et si doctrinam ab Orientalibus ei attributam consideramus, hostem, qui nobis aduletur, similem esse colocyntho, cujus folia sint viridia, gustus autem mortalis, optime quidem Ocho respondere dixerimus, praesertim eorum ratione habita, quae inter eum et praefectum Ragoam intercesserant. Haec tamen nihil probant, quum eadem fere esset ratio inter ceteros quoque reges et duces eorum. Itaque statuere possumus, intelligendum quidem esse hoc nomine Darae filii Behmani, regem Darium Nothum, sed quum multa praeclare a Dario I facta una cum nomine Darii memoria tenerentur, rex autem Darius I solo Gus'taspis nomine vulgo vocaretur, plurima ex Darii I factis, huic Dario II attributa esse.

Quod Ochus non nominatim in regum numerum receptus est, ideo factum esse mihi videtur, quod crudelitate et injustitia suis infestus erat, et tamquam causa interitus dynastiae habebatur, itemque Dara, tamquam injustus rex et imperii usurpator, causa omnis cladis habebatur, quo factum est, ut quum Darii nomen simul cum Alexandro multo melius memoria Persarum teneretur, duo illi reges in unum contraherentur; adde quod ultimus rex Dara filius Darae vocabatur.

Igitur apud Orientales scriptores regem Daram filium Behmani sequitur

Dara filius Darae دارا بن دارا

Hic res vulgo Darius Codomanus [parvus] vocatur, et ultimus est rex Achemenidarum. Orientales eum Daram filium Darae vocant, quo nomine simul genus ejus significatur. Est enim Artaxerxis III affinis, nepos Darii II, sed quum parentes ignobiles fuerint, avi genus maxime ostentatum est, ut ipsi parentes paullatim memoriam effugerent. Quo factum est, ut non Dara nepos Darae sed Dara filius Darae nominatus sit. Arsacem silentio praeterierunt, ut nonnullus alios, qui quum haud ita magni essent momenti, memoriam Persarum prorsus effugerent, velut Xerxes II, Sogdianus, Kamby-

ses. — Qua autem ratione regnum adeptus sit, dissentiunt Orientalium et Graecorum scriptores. Hi a patre regem destinatum esse statuunt, illi Arsacem a Bagoa interfectum et Darium regem appellatum esse ob fortitudinem et virtutem, id quod cum Persarum opinione de Dario III minime congruit, ideoque a scriptoribus neglectum est.

Ultimus rex Achaemenidarum, ut a Graecis describitur, erat bonus rex, fortis, generosus; lapsusque reipublicae non in regis culpa positus erat sed in universo rerum statu, qui jam nimis erat corruptus ac depravatus. Quin etiam operam dedit, quantum quidem in ejus potentia fuerit, ut saluti publicae succurreret, sed voluntati opes deerant ad rem perficiendam. Orientales contra in uno rege omnem adversae fortunae causam positam esse judicant, quamobrem dissentiunt de animo et moribus ejus, velut Abulfeda, malevolentia, inquit, et tyrannide omnium, vel optimatum vel plebis, animos a se abalienavit [19]); aut Mirk'ond: Hic rex, inquit, ita erat corruptus in moribus et tam crudeli erat animo ac natura, ut maxima pars principum et nobilium Iraniae haec aegre ferentes, literas Alexandro mitterent, polliciti, si venisset, se ei auxilio fore, id quod ad imperium Persarum obtinendum eum incitavit. Itaque belli inter Alexandrum et Darium gesti causam non in Alexandri cupiditate expugnandi et obtinendi, sed in rebus a Dario male gestis positam esse credunt. Et re vera proditionem et defectionem principum et praefectorum Alexandro victoriam multo faciliorem reddidisse, verisimile est, Alexandrum autem sola Persarum hortatione hoc suscepisse non dixerimus; hoc potius statuere possumus, magnis libertatis promissis multos adductos esse, ut eum secuti et tamquam liberatorem a tyrannorum jugo summis laudibus reciperent. Bellum et inceptum et gloriosa victoria finitum latius ab Orientalibus exponitur. Maxime Firdausi hoc fecisse mihi videtur, cujus verborum

---

[19]) وكان حقودا ظالما منفر منه قلوب الخاصّة والعامّة

summam paucis hoc loco afferam. Dara misit legatos in Macedoniam ad tributum exigendum, quod Macedones jamdudum inde ex vetustissimis temporibus Persis solvissent; quum autem recusavissent Darae imperio obedire, Darius Alexandro literas misit superbe et cum contemptu quodam scriptas, simul cum baculo, pila, sesamo, quibus rebus significaturus erat, Alexandrum pila ludere magis decere, quam rebus publicis praeesse; si autem bellum suscepturus esset, sesami granibus similes esse suas copias. Alexander, sicut dignum erat, respondens, colocynthum misit, significans se victoriae signa in palatio regis Persarum velle ponere. Talibus rebus inimicitiae crescebant in dies, ut tandem exercitus in proelium prodirent; Persisque victis, rex a proditoribus interficitur. Alexander autem, postquam quae facta erant, comperit, ad regem properans, eum adhuc viventem invenit. Confirmat regi, caedem non ex sua voluntate patratam esse, et remedia Dario medendi quaerit; frustra tamen. Moriens autem Darius ab Alexandro petiit, ut filiam in matrimonium duceret, et interfectores puniret; itaque Roxana, Darii filia, uxor fiebat Alexandri. Mirk'ond quidem hoc negandum esse putat, quia vir Deo deditus, ut erat Alexander, non filiam fratris, uxorem ducere potuisset, quamquam veterum legibus hoc licitum fuisset. Daram mortuum Alexander cum regia pompa sepeliendum curavit. Quod rex ab Alexandro victus et a proditoribus interfectus est, non discrepat ab iis, quae Graeci hac de re tradunt; reliqua varie modo magis modo minus huic narrationi similia narrantur.

Talis erat finis ejus regis qui ex aliorum opinione, meliore dignus erat sorte, ex aliorum autem ipsius culpa in tantum discrimen adductus est. Cessit simul cum hoc rege alia dynastia, ut alia succederet.

Reges igitur a Behmano usque ad Daram filium Darae cum Persarum regibus, quorum Graeci mentionem faciunt, hoc fere modo correspondere statuo

Behman { Artaxerxes I / Artaxerxes II

Homai, Dara f. Behm. { Darius II

[Ochus / Arsaces]

Dara f. Darae — Darius III.

Eadem ratione qua Ochus et Arsaces praetereuntur, et quae memoria digna perfecerunt, aliorum regum historiae inserta esse vidimus, in eo quoque regum ordine, quem a Behmano retro regredientes exposituri sumus, praetermissos esse reges ab Orientalium scriptoribus videbimus. Primus etiam rex, qui nobis occurrere debet, deest; nam apud Graecos ante Artaxerxem Longimanum regnavit Xerxes, qui nomine Magni a quibusdam honoratur; ejus autem loco apud Orientales nomen legimus, quod ne minimam quidem habet similitudinem cum Xerxe, et tamen certis de causis eundem regem quam Xerxem significare illud statuendum nobis erit. Traditio enim est orientalium, ante Behmanum regnasse avum ejus Gus'taspem, qui est Darius I, ut postea exponemus. Verumtamen hoc Xerxis regnum, quod multifariam omnibus cognitum fuisse debuerit, quum multa fecisset, quae memoriam ejus tuerentur, Orientalium memoriam omnino effugisse, mihi quidem minime placet, quamquam et Ochum et Arsacem et Xerxem II et Sogdianum ob ignobilitatem eorum omnino in oblivionem venisse statuebam. Itaque quaerendum est, num vir iste, cui nomen Esfendiar inditum est, quicquam commune habeat cum Xerxe; fortasse efficitur, ut, nominibus diversis, persona eadem sit. Nomen Esfendiar non abhorret, quum sicut Behman cognomen est regis Ardes'iri ob benevolentiam ejus, Esfendiar cognomen hujus regis possit esse ob quamlibet aliam virtutem. Quid igitur significat Esfendiar? Facillimum est significationem aliquam voci tribuere, etymologia probatam; difficile tamen discernere, num sit vera; ita tres affero etymologias

vocis; prima est Ispahani-yār[19]), quod significat servatorem Ispahanensis provinciae, cujus cognominis causa potest esse, liberatio civitatis a vastationibus Turcarum. Confirmatur, opinor, haec expositio, alia forma hujus nominis, Yar Ispand [يار اسپند], quam in Lex. Pers. Arab. ed. Richardson legi. Altera etymologia est amicus numinis cujusdam aspend. Verisimillimum autem esse judico, hoc cognomen ad corporis fortitudinem pertinere, quod invulnerabile habebatur. Hanc opinionem ornatam variis fabulis legimus apud Orientalium poëtas in certamine inter Esfendiarem et Rustemum gesto; [idem significatur nomine رويين تن (Richards. Lex.) quod invenitur pro Esfendiare, quum eundem sensum habeat] يار Yar est syllaba finalis ut vulgo ار; اسفند asfend est herba quaedam, cui mala numina removendi vis attribuitur, (Lex. Rich.), igitur nomen اسفنديار Esfendiar significat heroem, cui ne spiritus quidem mali quicquam nocere possint. Hoc vero cognomen a poetis regi datum, adeo erat usitatius ut nominis proprii locum obtineret, et illud omnino cederet, ut ne ab historicis quidem cognitum esse videatur.

Aliud nomen ejusdem regis est hebraicum אחשורוש Ahʿas'veros', quod in sacra scriptura legitur; eundem esse Xerxem clarius cognosci licet ex cuneatis inscriptionibus; assyrio enim sermone legitur hʿis'iars'a, persico hʿsayarsa; חש est consonans duplex X et quum Semitarum linguae duplicibus consonantibus non utantur, adhibent et consonantes et vocales auxiliares. In assyrio sermone i interpolatum est, in hebraico, id quod magis conforma est literae ח, sonus a praefigitur, cujus fulcimen quodammodo est א; sonus faucalis ח postulat loco Schwa vocalem a, ita ut initio fortasse achas'iers' pronunciatum sit, et hebraicis literis אַחַשְׁוֵרֹשׁ, sed ut plerumque ו et י confunduntur apud Hebraeos [cf. ילד et ולד] hoc loco sumpta vocali i literae ש, י in ו mutatum est, et inter duas ultimas literas o vocali interpolata, nomen אֲחַשְׁוִרוֹשׁ extitit, nullo

---

[19]) ن in nomine اسفنديار a singulari literae نِ pronuntiatione originem potest ducere. (cf. arab. جبار)

vitio descriptorum aut librariorum supposita, ut quidam statuere volunt. Postquam demonstravimus Ahʿas'veros' esse Xerxem, nullum dubium est, quinam Xerxes hic intelligendus sit: legitur enim istud nomen libris Ezrae, Esterae, Danielis; in libro Ezrae inter Darium et Artaxerxem nominatur, Xerxes I igitur est; in libro Esterae Xerxes II intelligi non potest, quum is 12 annos non regnaverit, quorum in illo libro mentio facta est; Ahʿas'veros' denique cujus in libro Danielis mentio fit, rex omnino non fuit, ut demonstrabo. Herzfeld [Gesch. des Isr. V.], itemque alii, statuunt, Cyaxaris quoque nomen hebraice Ahʿas'veros' scribi potuisse; at in cuneatis inscriptionibus nominatur Uvakistar; difficile est intellectu, qua ratione haec duo prorsus diversa nomina idem significent, et eandem habeant originem, nisi forte, ut lubet, quamcunque literam in quamque mutamus, et Hebraeos nomina diversissima iisdem literis judicamus scripsisse; Ahʿas'verum libri Danielis maxime putant esse Cyaxarem; tum autem Darius Medus et Astyages duo nomina ejusdem personae essent. Quod tamen facile nemo sibi persuasum habet. Mea quidem sententia, rerum status, qui tum Babylone erat, ita intelligendus est, ut Cyrus expugnatae urbi praefectos praeposuisse, eundemque Medum quendam nomine Darii; verba enim „qui rex factus est super regnum Chaldaeorum“ [20]) aut verba „accepit regnum“ [21]) minime convenirent, si ipse urbem expugnasset. Pater ejus Ahʿas'veros' nobis cognitus non est, quod confirmatur verbis quae adduntur, e gente Medorum; quum rerum scriptor regiam ejus originem, si qua esset, silentio non praeterisset. Hanc ob rem nusquam rex Persiae et Mediae aut rex Persarum nominatur. Verba quoque Dan. 6, 16: „scito o rex, Mediae et Persiae esse legem qua cautum est, ne regis imperia et dicta mutentur“, nihil pugnant cum hac opinione. Nam ad ipsum regem Persarum hoc dici non potest eadem ratione; admoneri tamen potest rex qui a Persarum rege terrae alicui prae-

---

[20]) אשר המלך על מלכות כשדים Dan. 9, 1.

[21]) קבל מלכותא id. 6, 1.

positus est, illiusque nomine leges dat et imperia facit. Quod vero Mediae nomen praeponitur Persiae in illo capite libri Danielis, hoc concludendum esse puto, initio donec Cyrus totius imperii sedem in Persiam nondum transtulisset, totum imperium vulgo Mediam nominatam et hanc regni partem tamquam principalem consideratam esse. Eodem fere modo explicandus est ultimus primi capitis libri Danielis versus; Cores', qui ibi nominatur, praefectus quidam est, qui Dario Medo successit, quum hic 62 annos natus regnum adeptus diu reipublicae praeesse non potuerit; nisi tres illi anni Cyri, quorum Dan. 10, 1 mentio fit, ad alium annorum ordinem numerare volumus. Nam hoc quoque fortasse dici potest. Cores' post expugnatam Babylonem, aliis bellis occupatus, principatum Babylonis Dario dedit, et tertio anno aut mortuo illo aut alia de causa, ipse rebus Babylonicis praeerat, et Judaeos in patriam redire passus est, quo factum, ut modo primus modo tertius iste annus nominaretur.

Cyrum satrapen quendam Persarum ne Orientales quidem ignorant; sed utrum haec ex ipsorum traditionibus acceperint an per Judaeos hoc nomen et res cum nomine conjuncta ad eos pervenerit, discernere non ausim. Adnotari hoc loco liceat, quoniam a proposito aberrans huc incidi, Bels'azar, qui noctu interfectus esse dicitur [Dan. 5, 30], quum ob exiguitatem regni, Nabonnid, qui circa 20 a. regnaverit, esse non possit, et progenies Nabuchodonosoris nominetur [ib. אבוך נבוכדנצר] filium illius regis fuisse rerisimile est. Regnavit una cum patre unum aut duo annos, quos alii Nabonidis alii ut Daniel Bels'azari attribuunt, solus autem admodum breve tempus rebus publicis praeerat, quare vulgo ejus mentio facta non est.

Revertamur nunc ad Esfendiarem sive Xerxem. Mores et natura et ingenii indoles regis Ah'as'veri cujus in libro Esther mentio fit, nihil repugnat moribus et naturae Xerxis, ut Graeci eum depingunt. Multa affere possum, quae haec verba testimonio confirment, velut crudelitatem et insaniam descriptas ab Herodoto, sed satis cognita, atque nullo dubio infirmata, praetereunda esse puto. Repugnat vero his,

quae Orientales de Esfendiare dicunt, quum prudens, fortis, dux summae virtutis nominetur. Caeterum istam gloriam originem ducere judico e prima ejus aetate, antequam regnum accepisset; postea autem rex factus regia abundantia omnium libidinum mollitus et corruptus talis factus est, qualis nobis nobis cognitior est. Itaque Orientatales nobis servaverunt res ab eo in primis aetatis annis gestas, Graeci, quae rex fecerit; illa facta erant in provinciis, quibus cum Graecis tum nulla erat res, haec maxime, quod in Graecos pertinebant, in Graecarum civitatibus; itaque haec Graecis nota sunt, quae Orientalibus ob nimiam priorem gloriam omnino obscurata, perpetua oblivione memoriae detrahebantur. Altera causa cur Orientales regnum Esfendiaris silentio praeterierint, haec fortasse est, quod Hystaspis quidam postea initio regni Behmani non sine potentia quadam in rebus publicis versabatur, et facile cum illo Dario filio Hystaspis, vulgo Gus'taspe nominato commutari potuit.

Malcolm quidem putat re vera Xerxem vel Esfendiarem regem non fuisse, et Graecos eum, errore quodam ductos, regem nominasse; sed omni modo confirmatur eum regem fuisse, praesertim cuneatis inscriptionibus, in quibus toties rex isque magnus appellatur.

Pater hujus regis erat Darius I, mater Atossa. In certamine cum Rustemo facto, ei objicitur, quod e Graeca matre natus sit; quam reprehensionem non negat Esfendiar, immo vero gloriatur ista re, quum originem duceret ex ea gente, quae virtutibus omnis generis Persis nihil cederet; haec verba Xerxem decent, quum satis compertum haberet, quanta esset Graecorum virtus. Fortasse ista reprehensione non ad matrem sed ad patris matrem, uxorem Lohoraspis cadit, qui partim certe Astyagi respondet; hic autem filiam Alyattis, regis Lydiae uxorem duxit. Atossa vero, quoad per Graecos docti sumus, ex Persarum gente erat.

Uxor ejus, vel una ex uxoribus ejus secundum Mirk'ond progenies est regis Talut [= Saul]; quod Judaeorum traditione, qua interpretatur [Esth. II, 5], Kis' illum

esse patrem Saulis, aut ipsorum historiis nititur. Illud si verum est, admodum mirabile est, quod non plus narratur de Esthera, et prope silentio omnia praetereuntur, nisi forte statuere volumus, eo mentionem ejus non fieri, quod non gloriosum hoc fuerit civitati.

Quare alterum illud magis placet, quum vulgo Behman, qui Esfendiari successit, amicissimo animo esset Judaeis; hinc matrem Judaeam fuisse simul memoriae tradebatur. Ab Occidentalibus uxor Xerxis nominatur Amestris quaedam, Persae filia. Nominum similitudo facile ad comparandum cum Esthera adduxerit, sed quum cetera omnia nihil altera alteris respondeant, statuere praetulimus, duas fuisse uxores illas.

Praeter hos comparandi locos, quorum mentionem feci, omnem rationem, quae inter Judaeos et Persas intercesserat, respiciendum est. Judaei Persis subacti sunt; plus ex Estherae libro colligere non possumus. Namque verba „qui deportatus est e etc.“ [22]) non minus pertinere possunt in Mordecham quam in atavum Kis′. Quin etiam si grammaticis quoque legibus relativum אשר in Mordecham pertineret, nihil cogeret, ut judicaremus, Mordecham emigrasse Hierosolymis; nam si pater in exilium exiit, tamen de filio hoc idem dici potest, donec in exilio manet. Utrum templum Hierosolymis jam exstructum fuerit, necne ex hoc ipso libro satis doceri non possumus.

Attamen hoc aliquis fortasse attulerit, si Ahʿas′veros′ idem sit, qui Xerxes, ante Artaxerxem Longimanum regnans, non satis elucere, cur Ezra hujus historiae, si quidem vera sit, nullam fecerit mentionem, id quod jam Albufarag′ admonet. Sed si quis hac de causa dicere velit, Ezrae hunc librum nondum fuisse cognitum, rectius dicemus, hanc ipsam ob causam, quod omnibus jam notus erat, Ezram omittendum sibi esse putasse. Quod conjicere licet e verbis Ezrae: initio quoque regni Ahʿas′veri scripserunt calumnias in incolas Judaeae et Hierosolymorum [23]); quum verbis „initio regni

[22]) אשר הגלה מירושלם Esth. 2, 5.

[23]) ובמלכות אחשורוש בתחלת מלכותו כתבו שטנה על ישבי יהודה וירושלם Ezr. 4, 6.

etc.“ significetur, postea Judaeis amiciorem factum esse regem, caveatur, ne Hamani insidiae confundantur cum Samaritanorum inimicitiis. Epulae tertii anni imperii respondent magno illi populi conventui ad deliberandum de expeditione in Graeciam suscipienda; fortasse victoria Aegyptia illis diebus celebrabatur. Modus, quo novam uxorem sibi electurus erat, omnino respondet vitae illius regis remissae et libidinosae, cui deditus erat inde ex clade in Graecia accepta, initio quidem Sardibus, tum vero in urbe Susis, postquam proelio ad Mycalem commisso Sardes reliquit; septimo autem anno Estheram uxorem duxit.

Quod Haman regi pecunias magnos dare voluit ad deperdendum Judaeos, rex autem eos non accepit, similem narrationem habent Orientales. Mirk'ond enim rege, inquit, Hindustanae inexpectatim regnum adorto, Gus'taspem deficiebat pecunia ad arma praeparanda; nam regis aerarium erat exhaustum. Ita in summa desperatione principem consuluit quendam, qui, fortuna, inquit, tua posita est in manibus tuorum subjectorum; quare necessarium est jubere illas pecunias colligi; rex quidem scivit, eo modo se praebiturum esse civitati magnam cladem; ne plura, rex brevi se a ministro deceptum cognoscit, qui suas tantum pecunias augere velit; vitiosum cruci affigi jussit, et hostem ingenio primi Veziri repulit, etc. Ei vitam mille hominum nullius fuisse momenti apud Graecos quoque legimus, eum uno die in Asia Minore permultos Graecos interfecisse; quae res ne Orientales quidem effugit, qui narrant, a Gus'taspe quidem, quia quaecunque ab Esfendiare perfecta sunt, regis Gus'taspis jussu fiebant, occisos esse, quia doctrinam ejus accipere noluissent.

Utrum ex Esthera filii nati sint, necne, non narratur, unde colligere possumus, eam aut nullos genuisse filios, aut filios ejus illegitimos habitos esse. Orientales quidem statuunt, Behmanum esse filium uxoris Judaeae; Judaeorum quoque traditiones Cores' II filium Estherae nominant. [24])

[24]) Liber Esther videtur a Judaeo quodam pro Persarum chronicis scriptus esse, et hac ipsa de causa neque Hierosolymorum

De expeditione Xerxis in Graeciam suscepta nihil fere ab Orientalibus narratur, sed videtur, quum Esfendiar patris maxime auspiciis omnia perfecisse putaretur, ista expeditio cum illa patris in unam conjuncta esse. Nam quod in Darii historia de pontium aedificatione dicitur, magis in Esfendiarem cadit; in certamine quoque cum Rustemo habito gloriatur sibi praesto fuisse Graecos poetas et sapientes et artis peritos, a quibus pontem sibi aedificatum esse. In fine belli quod, ut Mirk'ond narrat, Dario rege ab eo susceptum est, tanta adjuvabatur fortuna, ut gloria et praeda abundans in patriam rediret. Verumtamen eventum, quem habebat Xerxis expeditio, si notus fuisset poëtis, a Rustemo in certamine silentio praeteriri passi non essent. Apparet igitur, quantopere omnia, quibus gloriari possint gentes, memoria teneantur; adversos tamen fortunae casus, nisi quid singulare et mirabile habeant, populos facile oblivisci.

Maxime ab Orientalibus laudibus efferuntur, quae in Turania perfecit. Murum extruxit contra Turcas 20 parasangas ultra Samaracandam; quae bella patre adhuc vivo et regnante, tam gloriose gessit; calumniis apud patrem accusatus, a patria domo remotus, brevi tempore, quum patri ejus fortitudine et ingenio contra Turcas opus esset, revocatus est, et exercitu in proelium producto, hostes fudit. Praeterea expeditionem in Arabes eum fecisse tradunt Orientales. Verumtamen magnum aliquid et virtute et ingenio eum perfecisse pro Persarum salute constabat, quum talis gloria vana et sine omnibus fundamentis esse non potuerit. Natura autem et mores mutata sunt, simulac imperium accepit. De morte ejus narratur, eum a servo aut ministro quodam Artabano interfectum esse. Secundum Orientales interficitur a mini-

---

nec templi ulla fit mentio, ne ansa daretur, ut res adversae denuo in memoriam revocarentur, et eorum quoque Judaeorum, qui in Persia erant, res deteriores fierent. Ne Esther quidem multa pro patria facere potuit, ne veteres calumniae suscitarentur. Attamen opinor, quae a Behmano facta sint, ab Esthera praeparata esse.

stro Persici imperii, cujus potentia jam tanta erat, ut regibus Persarum obedire jam nollet, et ab illis jam metueretur. Simpliciter interfici talem heroem, parum habet ornamenti pro poetis. Moriendum vero ei est more heroum; igitur haec fere historia de morte Esfendiaris in Persicis scriptis legi potest. Gus'taspes filium Esfendiarem in Zabulistanam provinciam misit, ut Rustemum, qui unus ex omnibus principibus, qui defecissent, relictus esset impunitus, cogeret, imperio regis obedire; jussitque illum catenis vinctum ad se adduci. Initio quidem verborum tantum erat certamen inter Esfendiarem et Rustemum, quo uterque alterius vitia numerat, ipsiusque autem gloriam praetulit. Quum vero hoc certamen frustra factum esset, armis congressi sunt. Esfendiar, quamquam invulnerabilis, tamen interfectus est, et a fratre Bis'utuno corpus in patriam deportatum est. Qua ratione haec conjungenda sint cum vera historia, in Behmani regno explicatum est. Pater Esfendiaris erat

Gus'taspes. غشتاسب.

Est filius Lohoraspis, qui quis sit post Gus'taspis historiam perquisituri sumus. Nemo fere dubitat, quin Gus'taspis nomini Hystaspis respondeat; Hystaspes autem est nomen patris Darii I, et filio datum est loco longioris nominis Darae filii Hystaspis [داارا بن غشتاسب]. Neque tamen verum nomen Orientalibus plane in oblivionem venisse videtur, immo vero omnem regum seriem nobis a Graecis traditam iis incognitum non fuisse statuerim, quod jam in historia Darae f. Behmani adnotavi. Legimus enim in annalibus Hamzae in Darae f. Behmani historia, urbem quandam a Dara jam inceptam a Behmano continuatam, a Dara f. Behmani perfectam esse; sed quis Dara ille potest esse nisi Dara f. Gus'taspis, quum rex nomine Darii, inter priores reges Persiae nobis non occurrat? Omissa dimidia nominis, posterior pars Gus'tasp usitatior erat, ita ut solo hoc nomine Gus'taspis Orientalibus vulgo notus esset. Bustasp et Vistasp aut variarum dialectorum sunt formae, aut lubidine scriptorum ad exprimendum spiritum asperum creatae. Utcunque sese res

habet, ipse Hystaspes hoc nomine intelligi non potest, quum de eo tot e tam gloriosa facta alias non narrentur ea autem, quae de Gus'taspe dicuntur, maximam partem in Darium I optime cadant, ut exposituri sumus.

Gus'taspis pater nominatur Lohoraspes rex Persiae; Graeci autem regem Persiae Hystaspem, Darii I patrem, non vocant; e Graecorum igitur sententia cum Dario nova Dynastia incipit; Orientalibus contra regum series non interrupta fuisse videbatur, sed reges ante Gus'taspem arcta necessitudine conjunctos esse cum hoc rege putabant. In cuneata quadam inscriptione gloriatur Darius, e sua gente ante se octo regnasse reges in Persia. Gens ejus vulgo hoc modo traditur:



Oppert octo illos reges ita numerat, ut ab Achaemene usque ad Darium tres sint, Cyrus, Kambyses, Darius, quinque autem ab Achaemene retro usque ad Sardanapalum IV regem Assyriae [758–680], vel inter destructum Assyriae regnum et Persiam a Phraorte expugnatam. Etsi vero ista numeratio mihi quidem parum placet, quum ne numerus quidem congruat, hoc certe propter longaevam illam regum seriem memoria tenebatur, eandem gentem jam ante Darium multos habuisse reges, quo factum videtur esse, ut Orientales cum Dario novam dynastiam incipere non statuerint. Ex tot tantisque rebus praeclare a Dario gestis, quot quantaque Graeci tradunt, vestigia tantum quaedam relicta sunt in notis nonnullis per historias fabulosas illius regis dispersis. Multo latius et diffusius tradunt narrationem

de nova Zerdus'ti prophetae doctrina, quam Darius pervulgasse et adjuvisse dicebatur. Verisimile tamen est eam non prorsus novam fuisse, sed ipsum auctorem hujus doctrinae longe ante Darium extitisse. Darium autem istam doctrinam, quae per tempus quoddam in oblivionem venisset, denuo instauravisse atque vi et armis confirmasse. Ita ipse in cuneatis inscriptionibus dicit, mundum fuisse in obscuritate, et ab ipso lucem diffusam esse. De initio novae doctrinae variae sunt traditiones; quidam, plane ut videtur, imitantes Christi historiam, prophetam ante illum extitisse dicunt, qui novam doctrinam a Deo missum iri pronunciavisset. Alii colloquendo cum diabolo istam doctrinam didicisse prohetam illum statuunt, ducti ut videtur Muhammedanorum in idolatras odio. Alia fabula hac de re est haec fere. Gus'taspes rex per septem annos prophetam Zerdus'tam inclusum tenuit; sed quum aliquando in itinere equorum suorum pedes evanuissent subito, et Zerdus'ti tantum precibus rediissent, tali prodigio permotus, novam illam confessus est doctrinam; si consideramus secundum Graecorum traditiones per equos Darium regem factum esse, duabus his fabellis unam eandemque esse originem dixerimus. Ardore novae doctrinae ductus bellis contra Turcas implicitus est; et filio Esfendiare duce, Persae magnam victoriam in Turcas reportaverunt, quorum dux erat Arjaspes, rex Turcarum. Ante bellum inceptum Gus'taspes filio pollicitus est, si hostes vicisset, se regnum ei traditurum esse, sed promisso non stetit, immo vero in Armeniam eum misit, dicens quidem, ut novam doctrinam in illam terram induceret, re vera autem, ut in nova pericula eum immitteret. Sed quum falsis criminibus accusatus revocaretur et in castello inclusus teneretur, Arjaspes denuo terram invasit et usque ad Balk' urbem progressus est. Iterum Esfendiar liberatus patriam ab hoste optime defendit, hostes repulit, et in Turcarum terram ingressus, urbem Ruen Duz expugnat. Tantis periculis gloriose sustentis, tamen pater coronam in filii capite ponere noluit, sed novum bellum cum Rustemo ei detulit, quo mortuus est. Ipse Gus'taspes bellum continuat, po-

stea Behman, et qualis fuerit finis hujus belli in Behmani vita pluribus expositum est.

Expeditio in Graeciam suscepta cum nova doctrina conjungitur; legatos enim misit in Graeciam, ut novam doctrinam confiterentur; repudiabant autem Graeci hanc postulationem, nitentes veteri quodam pacto cum rege Feridune, quo cautum esset, ne libertas ullius rei sibi unquam raperetur. Hic quoque quodammodo historia inest; hic quoque, ut supra, res civilis cum sacra confundebatur.[25])

Ex iis quae de Gus'taspe adhuc dicta sunt, satis concludi potest, quales fuerint mores ejus naturaque, ex Orientalium quidem sententia. Est enim princeps injustus, mendax; qui nullam justam causam habens bellum contra Turcas incipit; promittit filio coronam regiam, non dat, sed omnes quascunque potuit contentiones facit, ut illam filio recusare possit, ut tandem tot tantisque periculis occumbat. Aliter a Graecis edocti sumus de moribus hujus regis; meliore animo utebatur, et summo dolore afficiebatur quum de Histiaei morte certior factus esset; idemque liberali animo erat in captivos, quos Mileto Susa adductos dimisit. Quaerentes unde ista dissensio orta sit, facile causam reperimus religionem Muhammedanorum, qui summo in veterum Persarum mores odio inflammati, quemcunque veterem illam doctrinam adjuvisse sciebant, omnium vitiorum eum accusare nihil dubitabant; Darius igitur, qui etiam auctor illius doctrinae habebatur, eorum quidem sententia bonus esse non poterat. Inde illae narrationes et conversio veritatis in falsum.

Neque magis congruit cum his moribus ab Orientalibus Dario attributis, ratio illa, quae inter eum et Judaeos intercessit. Quamquam Judaei multis inimicitiis propemodum oppressi erant, tamen rex Darius altero jam regni anno iis permisit, ut Hierosolymis templum denuo restruerent; praeterea omni modo eos adjuvit, ut sexto

---

[25]) De expeditione in Scytharum gentes facta, quam Graeci tradunt, vide infra p. 38.

regni anno templum aedificatum esset. Apparet enim Darjaves' illum libri Ezrae esse Darium I, eundemque cujus Haggai et Zah'aria prophetae mentionem faciunt: quum nec Darius II nec Darius III hic intelligi possit, quia Zerubabel, Cores' rege Hierosolyma profectus, Dario rege templo praeerat; a Cyro autem usque ad Darium II Zerubabelum vixisse vix credibile est; adde quod inter Cyrum et Artaxerxem alius rex Darii nomine non erat. Nomen hebraicum Darjaves' דריוש haud multum differt a nomine in inscriptionibus cuneatis usitato; magis differt Graecorum *Δαρειος*. Si vero quaerimus, quae sit causa, cur Darius tam amico in Judaeos animo se praebuerit, idem Darius, qui vi et armis omnes gentes aggressus sit, quae novae doctrinae addictae non erant, sententiae Abulfarag' facile consentiemus, hoc factum esse similitudine quodam duarum religionum. Videtur enim sperasse Darius, apud Judaeos facilius novae doctrinae aditum patefactum iri, quod quum non fieri intellexisset, amicitiam in inimicitias mutabat; Itaque post aedem sacram aedificatam tota urbs vasta jacebat, et ruinas profecto removissent Judaei, domosque struxissent, in primis urbis murum, si a rege ut antea, adjuti essent. Diserte tamen non Darii sed Xerxis inimicitia traditur, ut supra demonstravi.

Memorabilis est ratio illa, qua regnum accepit. Pater Lohorasp filios Kai Kavusi majoribus affecit honoribus quam ipsius filios Daram et Nausirum; qua de causa hi conjurationem contra patrem faciunt, et quum patefacta esset, Dara in Graeciam fugit, ibique tempus quoddam commoratus, imperatoris filiam uxorem duxit. Postea, quum bellum ob detrectatum vectigal a Persis contra Graeciam susceptum esset, a Graecis dux exercitus factus est, qui hosti obviam iret; sed quum duo exercitus appropinquassent, pacem fecit ea conditione, ut rex Persiae post Lohoraspem mortuum fieret. Similem rem legimus apud Graecos de Astyage, qui quum Lydos oppugnaret, pace facta, filiam regis Lydorum, Alyattis, uxorem duxit; nec mirum quod Orientales hanc narrationem in filium Hystaspem transferebant; fortasse expeditio Darii in Scythi-

cas gentes causa erat hujus fabulae; quum diu absens et jam pro mortuo habitus, tandem per Graecos, qui pontem servabant, incolumis reversus, regni munera denuo suscepisse.

Venimus nunc ad quaestionem multo difficiliorem, quum certi comparandi loci magis magisque minuantur, quis intelligendus sit nomine

Kai Lohoraspis,

quod Orientales ei regi dabant, qui ante Darium regnabat. Nomen in hac quaestione nihil nos adjuvat, quod cum nullo Graecorum nomine comparari potest; videtur quidem ut Behman et Esfendiar cognomen tantum esse regis, cujus nomen proprium obliviscebantur Orientales. Etymologia vocis perdifficilis est; mihi quidem videtur ista vox composita esse e لُهْر et اسپ; prima vox significat habilitatem, altera equum, ut nomen Lohorasp significet habilem in equo, et correspondeat Graecorum *Ευιππῳ* et *Καλλιμαχῳ*.

Pater ejus Kai K'osru nominatur; sunt qui illum cum Cyro comparent, ita ut Lohorasp sit Kambyses. Neque tamen mihi placet; nam voci Kai K'osru magna vis adhibenda est, ut vocem Cyri componamus; tum Kambyses nihil congruit cum Lohoraspe, quum Kambysis regnum non tanti fuerit momenti, nec tam gloriosum, quamquam Aegyptum expugnaverat, ut ejus regno duplicem annorum numerum, quam Dario tribuerent. Nam Gus'taspes 60 a. regnavit, Lohoraspes contra 120 annos. Kai K'osru autem melius cum Cyaxare comparari potest, quum singulae literae duorum nominum alterae alteris optime respondeant. Sunt igitur inter Kai K'osru et Gus'taspem regna Astyagis Cyri Kambysis, ex quibus is maxime Orientalibus ante oculos obversabatur, qui maximam adeptus est gloriam; i. e. Cyrus; reliqui partim ejus historiae inserti, partim historiae aut ejus qui antea aut qui postea regnabat, adnectebantur. Attamen contra hanc opinionem afferri potest, dynastiae mutationem, qualis tunc fuerit, adeo memoriam effugisse, ut prior cum posteriore dynastia commutari po-

tuerit, verisimile non esse. Mutatione autem illa fortasse ratio, quae intercesserat inter Medos et Persas, non prorsus aliena facta est; tum Cyrus, utcunque sese res habet, necessitudine quadam conjunctus erat cum Medorum dynastia.

Jussu Lohoraspis Bak't Nasr [= Nabuchodonosor] Hierosolyma expugnavit et templum destruxit: eidem expugnatio Egypti tribuitur. Judaei enim quum fugitivi in Aegyptum venissent, Bak't Nasr ab Aegyptiis postulat, ut Judaeos ipsi, tamquam servi essent sui, redderent; quod quum rex Aegypti noluisset, in Aegyptum cum magno exercitu profectus est, et victa sub Persarum potestate mansit usque ad Alexandrum regem. Sed quamquam Nabuchodonosor terram istam expugnaverat, brevi tamen libera facta est, Aprie rege, et Kambyses demum eam in Persarum potestatem redegit Duae igitur expeditiones in unam contractae sunt; fortasse haec quoque res effecit ut alter expugnator Aegypti memoriam effugeret, quum unus idemque putaretur. Sunt quidem qui hac ex causa judicent, Kambysen esse Nabuchodonosorem; errant tamen, quum alter Persiae alter Babylonis fuerit rex. Confundebantur autem duo illi reges, quia Babylon, etsi tum sui juris erat, tamen quum brevi in Persarum potestatem venisset, et Persae Aegyptum expugnassent, facile provincia Persarum habebatur, et jam Nabuchodonosorem fuisse praefectum Babyloniis a Persarum regibus dicebant. Abulfeda tamen jam dubitare incipit, et in medio ponit, utrum Nabuchodonosor Persarum praefectus an rex sui juris fuerit. Expugnatio vero Hierosolymorum re vera quidem erat extremis annis Cyaxaris regis; sed quum multo major pars regni Nabuchodonosoris cum Astyage congrueret, facile totum in Astyagis regnum incidisse judicari potuit. Quum vero Chaldaei et Medi tum multas terras conjunctis viribus expugnassent, inter Persarum gentes facile opinio existere potuit, ipsos ope Babyloniorum quum alia oppida tum vero Hierosolyma in suam potestatem redegisse, Persasque eodem animo fuisse in Judaeos ac Chaldaeos. Ista inter Persas et Judaeos ratio jam Cyro rege mutabatur (vel rege

Lohoraspe); et si multi Orientalium rerum scriptores putant, Behmano demum rege illam mutationem extitisse, eo factum est, quod omnia quae e rebus Judaeis facta sunt, Behmano rege peracta esse judicant, quippe quem amicissimum fuisse Judaeis inter omnes constaret. Nam hoc quoque traditur, Lohoraspem regem Nabuchodonosorem regno removisse et Judaeis licentiam dedisse redeundi in patriam; adde quod exilium illud 70 annos duravit, Lohorasp autem 120 annos regnasse dicitur; quo efficitur ut et initium et finis exilii in Lohoraspis regnum ponamus. Hoc vero congruit cum sententia illa, quam pronunciavimus, regnum Lohoraspis amplecti complures reges Astyagem, Cyrum, Cambysen; principem tamen locum obtinere Cyrum, caeteraque ei adjuncta esse.

Attamen Cyri nomen adeo memoria elapsum est, ut legentibus historiam Cores'i pertinentem in Judaeos, ut in sacra scriptura traditur, nihil in mentem venerit hujus regis Cyri. Sed quaerat quispiam cur re vera memoria illorum, quae Behman rex perfecit, servata sit, eorum autem quae a Cyro et Dario regibus pro Judaeis facta sunt, prorsus in oblivionem venerit. Equidem opinor hoc eo factum esse, quod et Cyri et Darii in Judaeos beneficia in breve tempus fuerint, et brevi obtemperaverit rex hostium calumniis; Behman autem per totum fere regnum Judaeis erat amico animo, exceptis primis annis, ita ut quae perfecerat, majora reliquerint vestigia in omnium animis.

De gente hujus regis duplex est traditio; alii putant eum fuisse ducem quendam militarem et satrapen provinciae, et a Kai K'osru regem factum; ex aliorum sententia unus ex cognatis regis Kai K'osru est, isque nepos fratris Kai Kavusi; velut Hamza dicit fuisse eum filium Cai Avads'ari filii Cai Menes'i filii Cai Pes'iri filii Cai Afuh. Elucet ex his regem hunc fuisse initium novae lineae; si igitur consideramus, nomine Cai Kavusi Medum expugnatorem Persiae significari, qui vulgo Phraortes nominetur, ista necessitudine cum Cai Kavuso nihil aliud nisi rationem quandam, quae intercesserat inter Medorum et Persarum principatum, quaeque in memo

ria Persarum tamquam vestigia quaedam adhuc reliquerat, innuere volebant Orientales. Cadunt haec in Cyrum, de cujus regno apud Graecos quoque duplici ratione narratur; alii enim eum creatum et designatum esse regem ab Astyage ob ejus in omnibus rebus praestantiam; alii ut nepoti illius regis jus quoddam imperii adipiscendi ei fuisse dicunt, quod armis recuperaverit. In Astyagem autem aut Kambysen illa nihil cadunt. Confirmatur haec sententia, cum regno Lohoraspis prorsus novam regum seriem incepisse, contrariam priori, eo quod de Rustemo et patre ejus Zale narratur. Etenim Zal amicissimus fuisse Medorum imperio videtur, quod omnibus viribus defendit; aegre autem fert, quod Kai K'osru regnum Lohoraspi tradit, id quod Rustem inter alia nominatim affert, in certamine cum Esfendiare filio Gus'taspis habito, jam patrem noluisse, regnum Lohoraspi tradi. Horror iste Medorum a Persarum imperio progenuit multas seditiones et conatus diminuendae Persarum potentiae; principes illarum seditionum, ex eisdem certe gentibus, quae antea regibus maxime fuerant amicae, omnes duobus his nominibus complectebantur; itaque Rustem apud Orientales idem fere perfecit quod Graecorum Artabanus et posteri ejus, ut supra jam exposui. Singulatim de bellis, quae gesta sunt, per regnum Lohoraspis h. e. ab Astyage usque ad Kambysen admodum pauca afferuntur; dicitur tamen, neminem ante eum tam deditum fuisse expugnationi totius fere orbis terrarum, quam Lohoraspem.

Urbe Balk' sedem habuisse dicitur; a Cyro autem tradunt Susa urbem in occidentali imperii parte structam esse et regiam sedem designatam; Astyagi autem narratur Cyrus sedem dedisse in orientali imperii parte, tum vero Hystaspes Darii pater ibi sedem suam habuisse. Ex duabus narrationibus combinatione facta, quum Lohoraspes non modo rex fuisset, qui Gus'taspi antecesserat, sed etiam pater Gus'taspis putaretur, istam urbem illum condidisse et in ea sedem regiam eundem habuisse narrant.

Morum descriptio non, ut expectari potest, cum Cyro, sed magis cum Kambyse congruit, ita ut Malcolm judicet, Lohoraspem esse Kambysem. Dicit enim Mirk'ond: nullus princeps extitit in gente Cajanidarum magis distinctus ardore, magnanimitate, excellentia, eloquentia, liberalitate, et mentis pertinacia, sed in his tot bonis qualitatibus erat severus et implacabilis neque unquam pepercit sanguini offensoris; acies gladii et hastae erant instrumenta ad reprehendendum et puniendum. — Suspicor ideo de isto rege haec dici quod ejus jussu templum Hierosolymis destructum et urbem vastatam esse putent; igitur crudelitatis imago ante oculos obversabatur, quotiescunque ejusdem regis mentionem faciebant; quod fortasse memoria regis Kambysis confirmabatur.

E novis ejus institutis magni momenti est hoc, ut Hamza narrat, quod primus stipendia militaria constituebat, satrapisque solia dedit eosque armillis ornavit atque tentoria iis fabricatus est; satraparum institutio tribuitur vulgo Dario Hystaspis, sed videtur initium fecisse Cyrus, et Darius id quod ille inceperat, perfecisse et amplificasse. In libro Danielis mentio fit 120 satrapiarum, quas fecit Darius Medus in Babyloniorum regno; ideoque multi hunc Darium I. dicunt esse; quis re vera fuerit Darius Medus ille jam supra demonstravi. In extrema vita bellum suscepit contra Romam, quod effecit, ut Gus'taspes filius, qui exul ibi versabatur, rex factus esset. Dicitur enim Gus'tasp iratus patri qui filiis Kai Kavusi magis quam ipsi et fratri Nausiro deditus esset, fugisse, postquam conjuratio ab eo suscepta patefacta est, in Romam. De his rebus, quamquam alias nihil legimus, tamen tantum verum videtur esse, quod quidam ex regis familia hac de re regi irascebantur, quod Medos praetulerit Persis, et illis praefecturam et alios honores tribuerit, quum metuerent, ne ea ratione ipsis regnum ab illis deriperetur.

Regnavit ante Lohoraspem
Kai K'osru.

Hic vulgo Cyaxares nominatur; nomina enim sunt eadem;

aetate quoque congruunt. Nam ambo ante Nabuchodonosorem regnaverunt, qui templum Hierosolymis destruxit, quod Orientalium sententia Lohoraspe rege factum est. Malcolm vero, qui Lohoraspem cum Kambyse comparat, Cyrum esse Kai K'osroem dicit. Tripliciter hoc confirmare vult; primum enim Afrasiasp, unus ex majoribus ejus, eum metuens interfici jussit; a pastore quodam servatus nutritur clam rege, donec adolesceret. Tum contra illum bellum gerit, denique extremo regno imperii muneribus abhorrens vitae religiosae se penitus dedit, ut quando quoque modo mortuus sit, nihil tradatur. Et profecto si in regum serie alium locum obtineret, his rebus magis ista opinio confirmaretur; quum autem temporis ratio non patiatur, ista nihil probant. Namque bellum contra Afrasiaspem gestum prorsus aliud est, quam Cyri contra Astyagem, quo coronam adeptus est Cyrus, quum K'osru jam rex factus bellum illi intulerit. Quod successor regis munera suscipit, prioris regis morte nondum certa, pluries factum est. Maxime pueritia ejus Cyri admonet; consideremus autem, de Gus'taspe quoque similem narrari historiam, et Herodoti historiam nihil nisi fabulam esse; eadem fabula igitur diversa quidem forma de pluribus regibus traditur. Fieri igitur potuit, ut in Cyaxarem transferrent, quod ab aliis de Cyro dicitur.

Omnia, quae de Kai K'osroe traduntur tam generalem naturam habent, ut et de Cyro et de Cyaxare dici possint. Uterque multas terras expugnavit; principem tamen partem historiae hujus regis occupat bellum contra Turanos gestum, patris Siavus'i mortem ulciscendi causa. Magnum exercitum ducibus avunculo Faribarzo, filio Kavusi, Tuso, filio Namiri, Gudrazo; hoc bello regis frater Ferood interficitur a Tuso, qua re rex iratus alium ducem creavit; ut paucis absolvam, bellum victoria Iranicorum finitum est; ipse Afrasiaspes diu fugitivus per multas terras vagatus cum propinquis suis captus et interfectus est. Expugnationis autem illius terrae mentio non fit, quum Esfendiare duce demum perfecta sit.

Sequebantur hoc bellum bella cum Seribus et cum Indis, quae pari fortuna gessit. In moribus ejus justitia maxime laudatur. Subjectas terras nec ad tributum solvendum neque ad stipendia facienda coegit, sed quaecunque sua sponte solvere et facere volebant, ea accepit. Igitur appellatur preciosa margarita torquis potentium regum. De potentia ejus haec fere Mirk'ond: Vis immutabilis mandatorum ejus apparebat prototypus fortunae et exemplum fati; vix sonus vocis ejus ad hominum aures pervenerat, quum reges remotissimarum terrarum convenerunt, ut duce hoc rege bellum susciperent. Similia mihi videntur esse verba sacrae scripturae: scriptum enim, quod scribebatur regis nomine, et regis sigillo signatum erat, non est revocandum [26]), aut verba: lege Mediae et Persiae, quod non abolendum est. [27]) Haec jussorum firmitas, secundum Danielem 6, 9, jam in Medo-Persica dynastia erat; certe vetustissima, ut de Cyaxare jam dici possit. Caetera de hoc rege dicta cum iis, quae exposui, congruunt. Abolitio regni Assyrici et liberatio Mediae a Scythis, magis merent gloriam belli et auctoritatem procurare, quam Cyri facta.

Populis quoque Iranicis vetera eorum instituta permisit, et multam libertatem eis dedit, quae causa satis est ad eum summis laudibus celebrandum. Videtur proinde atque Alexander ex hac ipsa causa non alienus expugnator, sed Persa consideratus esse. In justitia et religione tantis laudibus effertur, ut a nonnullis propheta appellatur. Fortasse haec quoque opinio causa fuit, cur hoc loco commutatio cum Cyro (hebraice Cores') facta sit.

Kai Kavus.

Is gloria quadam fruebatur; attamen magnam videmus differentiam a reliquis regibus. Laudatur tamquam

---

[26]) כי כתב אשר נכתב בשם המלך ונחתום בטבעת המלך אין להשיב

[27]) כדת מדי ופרס די לא תעדא

rex fortis animi et pulchri corporis. Parabatur auxilium ab eo ubicunque et a quocunque flagitabatur. Attamen vituperatur capriciosus ejus et levissimus animus, et accusatur improvidentiae et levitatis in rebus etiam maximi momenti. Quum vero proximus ante Cyaxarem sit, cum Phraorte comparari potest. Tum reprehensionem in hunc regem factam inspiratam esse dici potest abalienatione quadam in peregrinum patriae expugnatorem et raptorem libertatis. In hanc mentem dicit Abulfarag: et vehementer, inquit, afflixit hostes et multos optimatum interfecit.[28]) Idem Nimrod[29]) appellatur, ut Mirkʿond hac de re dicit, „inter nefasta ejus facinora attributa Kavuso est conatus ascendi in coelum"; sed repudiat hoc Mirkʿond quum de prudente rege, ut iste erat, hoc dici non possit; profecto scisse eum, sine auxilio Gabrielis et Boraki hoc fieri non posse; Esfendiar contra gloriam Rustemi obscurare studuit dicendo Kai Kavusum a Rustemo honoribus affectum esse, virum illum impudentem, qui in coelum ascendere voluisset; consideratur igitur ille tamquam exemplum dementiae et malae famae, quare vocatur Nimrod.

Si autem qui statuere volunt istum esse regem ultimum, antequam Persia a Medis expugnata esset, nulla fere res iis opponi potest; ut nomine Kai Kavusi fortasse Achaemenes significetur, et nomine Kai Kobadis, pater Achaemenis; melius tamen mea quidem sententia Kai Kobad comparari potest cum Dejoce, ut nunc expositurus sum.

Kai Kobad.

Secundum Herodotum Dejoces judex electus est, et paullatim usque ad tyrannidem ascendit. Pari ratione Kai Kobad ab Orientalibus tamquam pacificus rex describitur, cui curae fuerit, ut cultura et populi frequentia augeretur. Itaque verba illa ei addicta sunt: cultura est tamquam

---

[28]) وشدّد على اعدائه وقتل خلقا من عظماء البلاد

[29]) Quae vox exponitur a Persis: Lam yamut, [immortalis].

vita, devastatio tamquam mors.[30]) In bellis quoque, quae gessit admodum propensus erat ad pacem. Initium regni, quomodo imperium adeptus est, nihil differt ab illis ab Herodoto traditis; populi enim precibus suscipit regis munera.

Titulus ejus affertur Awwal [اوّل] i. e. primus; qui novam dynastiam incipit; nomen Kobadi secundum Mirk'ond in Pehlevi potentiam significat [fortasse = Kuwwat [قوّت], quae vox item potentiae significationem habet]. Itaque hoc quoque nomen cognomen est regis, cujus nomen proprium fortasse Dejoces fuit. Nam magnae ejus vires, eadem ratione qua justitia ejus laudantur.[31]) In ejus aetate inquit Mirk'ond floruerunt Elias, Joschua Sch'muel, Hiskeel!

Ex his, quae dixi, suspicari licet, Cajanidas et Achaemenidas esse unum idemque, etsi duo primos, Kai Kobadem et Kai Kavusum fortasse exceperimus; hi enim neque ad priorem familiam, quae Assyriorum erat, numerari potuerunt, quum prorsus alieni ei essent, neque familiam unam soli per se efficere ob exiguitatem; quo factum est, ut ad sequentes Cajanidas numerati essent.

Reges igitur a Kai Kobade usque ad Esfendiarem respondent regibus a Dejoce usque ad Xerxem hac fere ratione:

---

[30]) Mirk'ond.

[31]) In short during his reign he so widely expanded the carpets of justice and grace and the fame of his equity was so extensively diffused that most of the empires of the world were governed according to his ordinances, regulations, concessions and prohibitions. Mirk'ond.

Kai Kobad	Dejoces
Kai Kavus	Phraortes
Kai K'osru	Cyaxares
	Astyages
Lohorasp	Cyrus
	Kambyses
Gus'tasp	Darius I.
Esfendiar	Xerxes.

VITA.

Ego Michael Friedlaender, fidei Israelitarum addictus, Iutroszinae, in oppido provinciae Posnaniae die XXIX mensis Aprilis anni h. s. XXXIII natus sum patre Josua Falk, quem Dei Providentia mihi ante sex annos eripuit, matre Leah, quae item praematura morte in alteram vitam transiit.

Elementis literarum imbutus, Berolini gymnasium, quod etiam nunc auspiciis Cel. Bellermani floret. Testimonio maturitatis academicae ornatus anno h. s. LVI ab Ill. Ehrenberg, rectore magnifico, inter cives universitatis Fridericae Guilelmae receptus et nomen apud Ill. Haupt, decanum ordinis philosophorum maxime spectabilem, professus sum. In qua universitate per septem semestria versatus hisce interfui scholis:

I. Philosophicis: de historia philosophiae, de logice, psychologia, paedagogice; exercitationes philosophiae, prof. Trendelenburg.

II. Orientalibus: de origine Pentateuchi, prof. Vatke; de Danielis libro, prof. Benary; de Jesajae vaticiniis, Dr. Hengstenberg; de grammatice Arabica, de Corano, pretis Arabicis, lingua Turcica, prof. Dieterici; de grammatice Persica, de Gulistano, Bostano, Dr. Gosche.

III. Philologicis: de historia literaturae Graecae, de Antigone et Oedipo prof. Boekh; de Catullo, prof. Haupt, de grammatica latina prof. Bernary; de grammatica Sanscrita prof. Bopp; de grammatica hieroglyphica prof. Lepsius.

IV. Mathematicis: de calculo differentiali et integrali, prof. Ohm; de calculo integrali, Dr. Hoppe; de numerorum theoria prof. Kummer; de mechanica analytica, de algebrae capitibus selectis, prof. Kummer.

V. Historicis: de historia literarum Judaeorum medii aevi, de literatura semitica, Dr. Gosche; de historia literarum Anglicarum Dr. Solly; de vita et moribus Aegyptiorum, prof. Lepsius.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

THESES.

I.

Vox סֶלָה terminus technicus musicorum esse non potest.

II.

Vehementer errant, qui dicunt, historiam primorum hominum pro infantibus tantum esse scriptam.

III.

Non recte statuunt docti homines, cap. 13 *et* 14 *libri Jesajae ante exsilium Babylonicum scribi non potuisse.*

IV.

Injuria vituperantur, tanquam corrupta lingua usi, ii qui vocalem Kamez (ָ) *o proferunt.*

V.

Falsa est opinio in sacris Hebraeorum libris nihil inveniri de immortalitate animae.

THÈSES.

I.

II.

III.

IV.

V.